LOCORVM

COMMVNIVM S. THEOLOGIÆ INSTITVTIO PER EPITOMEN.

In qua cuiuſq; loci veritas aſſeritur, & Bellarmini ſophiſmata refutantur.

Auctore Luca Trelcatio.

Indice errorum Eccleſiæ Rom. adiecto, ex 4. Tomis Rob. Bellarm. vnà cum antidoto:

Per Conradum Vorſtium S. Theol. D.

A 36.

LONDINI,
Ex officina NORTONIANA, apud IOANNEM BILLIVM.
1608.

Magnificis, Conſultiſſ. & Ampliſſ. viris,

DD. CVRATORIBVS Academiæ, & CONSVLIBVS Reipublicæ Lugd. Bat.

PRIMITIAS *Beneficij veſtri,* (viri Ampliſſimi) *& officij mei, vobis offero. Beneficium quippe veſtrum fuit, quod me Profeſſionis Paternæ, & Humanitatis veſtræ hæredem, candido & benevolo ſuffragio veſtro ſuffeceritis; meq, cui vires tanto rerum faſtigio, nec pares, nec dignæ eſſent, aliquid poſſe in bonum publicum Scholæ veſtræ, ſperaſtis & voniſtis magis ex affectu, quam ſenſiſtis aut iudicaſtis. Arbitrium tamẽ veſtrum honorarium, propter authoritatem, & prudentiam, & gratiam propter amorem ſingularem agnoui & amplexus ſum, fide*

quâ potui, modestia quâ debui : & vobis suffragantibus, & promoventibus, Professionis Theologicæ Cathedram conscendi; cum periculo honoris mei, periculum facturus, non tam profectus mei, quam affectus vestri. Officium meum fuit, si non dignitati professionis, & vestræ expectationi respondere, meum saltem, vt responderem pro modulo meo, affectum, modis omnibus testari; nihilque non præstare, vt publicæ vtilitati inservirem, & votis vestris. Quem in finem Totius velut Corporis Theologici anatomen instituí, & Locorum omnium S. Theologiæ, pertractationem Scholasticam, & methodicam, sesqui anni spatio contexui, & in Epitome absolui; Primum Didactice, & Κατασκευαστικῶς veritatem docendo; Deinde Elenctice, & Ἀναστευαστικῶς, veritatis falce, Errorum sermenta resecando. Theologiam enim docendi duplex via est, vna de veritate, altera pro veritate; vtraque coniugij sacro copulata, & ad Theologiam pertractandam necessaria. Veritatis doctrinam, seu Loci communis cuiuslibet naturam, Definitione

tione (vbi fieri, aut potuit, am debuit) Illiusque per Causas Analytica explicatione, proposuimus & confirmauimus. Falsitatis verò refutationem generalium solutionum ac distinctionum appendice concluſimus, quas ſingulas ſingulis Bellarmini (vbi Locus controuersus fuit cum Pontificiis) argumentis, eodem quo ab illo proponuntur ordine, locis notatis, oppoſuimus; Atque ita decurſo præſtituti itineris ſpatio, ad optatum limitem peruenimus; & vtramque Theologiæ partem ὡς ἐν τύπῳ absoluimus. Vnum reſtabat, vt Infantiæ meæ mihi conſcius, Ignorantiæ culpam apud Auditores deprecarer, & quæ à me dicta, & dictata fuerant, honeſto ſilentio excuſarem, & priuatæ illorum humanitati, cenſuræ, & conſcientiæ committerem, & commendarem. Et feciſſem; niſi ſcripti huius editionem, præter importunas amicorum efflagitationes, extorſiſſent, & publica Theologici ſtudij ratio, & priuata officij conſcientia. In tanta tot Scriptorum Theologicorum, & Locorum communium copia, de inopia iamdudum conqueruntur S. Theolo-

giæ ſtudioſi; & merito; Nam quicunque Locorum Communium ſcriptores, & authores habentur, & teruntur manibus ſtudioſæ Iuuentutis, aut prolixitate ſua, properantes æquo diutius remorantur; aut nimia breuitate ſua, vel eandem eos ſæpius recurrere viam didacticam, cogunt cum faſtidio, vel alteram, quæ Elenctica eſt, præcludunt cum periculo. Hinc labeſcit feruor ſtudiorũ, & antequàm viſ ſeat, ſæpe ſeneſcit. Votum ergò iamdudum fuit, & meum, & ſtudioſorum omnium S. Theologiæ; vt vtraque Theologiæ pars in Compendio arctari & redigi poſſet, Scholaſtica & methodica pertractatione. Quod dum ab aliis, qui & otio, & doctrina abundant, expeto & expecto; viſum fuit, communis voti teſtem hunc librum noſtrum ſubmittere, vt tanquam πρόδρομος magna illa ingenia, quorum hoc ſæculum feraciſſimum eſt, ad explendum illud, inuitet & prouocet; Quod ſi obtinuero, ſatis ſanè vberem, ſcriptionis huius fructum, me retuliſſe profiteor. Confido interim, ſi vt quæ neſcio, ſine occultatione arrogantiæ,

mihi

mihi postulem impertiri; ita gratum fore, vt quæ paucula noui, postulantibus impertiã. Deinde cum Locorum Communium professio mihi demãdata & eorundem explicatio iam denuò repetenda esset; visum fuit, non tantum Auditores nostros, scribendi molestia subleuare; verum etiam tanquam in Tabula memoriæ & oculis ipsorum exponere, quid à me postmodùm expectare debeant, simulque Mercurialis instar, intenso ad rem digito, viam, eamque expeditissimam studiosis præmonstrare, ad didacticam & Elenchticam S. Theologiæ notitiam; Vobis autem, viri Amplissimi, has qualescunque Professionis nostræ primitias, tanquam tenella messis Theologicæ semina, in agro vestro primùm enata, & postea benigno fauore vestro maturitatem aliquam consecuta, iure, meritoque vestro, offero & consecro: tùm vt gratum meum animum hoc officij pẽso tester & probem, tùm, vt candido vestro suffragio, & studijs meis calcar addatis, & aduersus maleuolorum latratus, προμάχους vos præstetis & ὑπερασπιστὰς. Sic spero & Con-

fido in Domino, quem rogo viri Amplissimi, vt cursum vestrorum omnium consiliorum secundet, vosque Academiæ & Reipublicæ incolumes & florentes seruet quam diutissimè. Lugd. Bat. 7. Augusti. 1604.

Amplitudini vestræ
addictissimus.

LVCAS TRELCATIVS, L. F.

SCHOLASTICA ET METHODICA LOCORVM COMMVNIVM S. THEOLOGIÆ INSTITVTIO.

INSTITVTIONEM THEOLOGICAM Methodo Scholastica & in Epitome explicaturi; duo velut Præfationis & Introductionis vice præmittemus.

VNVM de ipsa THEOLOGIA, ejusque Natura, & veritate.

ALTERVM de INSTITVTIONIS nostræ ordine & Methodo.

THEOLOGIAM intelligimus, non illam ἀρχέτυπον, quæ in Deo ipsius Dei, immo ipse Deus est, (idem enim in simplici essentia, & Deus, & quod in Deo) qua, & Seipsum novit in Seipso, & extra se Vniuersa & Singula per Seipsum, Actu Individuo & Immutabili; Sed ἔκτυπον ex illa priore per revelationem & gratiosam communicationem expressam & informatam; sive secundum *Naturam* vr iuersalem in omnibus hominibus; sive secundum *gratiam* speciale & *modum scripturæ* in Ecclesia.

Veritatis huius inquisiturus, duo tenere debet, τὸ ὅτι, καὶ τὸν τί ἐστι, & *quod sit* & *quid sit*.

Esse istiusmodi ἀκτυπον THEOLOGIAM, demonstrat Natura Dei: Lux, tum naturalis conscientiæ nostræ, tum supranaturalis scientiæ reuelatæ: Communis gẽtium sæculorumque Experientia.

Natura Dei; Cum enim modis omnibus sit Infinitè Bonus, nulla ratione bono modo communicandi bonum, carere Deum existimandum est, vtpote, cujus proprium sit sui esse κοινωνικὸν, seu Seipsum communicare, cum reliquis creaturis, pro conditione ipsarum. [a]

a Math 5.45.

Lux, tum *Naturalis Conscientiæ Nostræ*, qua prælucente, id omnes homines habent constitutum, esse diuinationem, aliaque diuinarum communicationum genera [b]; tum *Supranaturalis scientiæ reuelatæ*, qua scimus totam veritatem, quam scire nos ad salutem nostram interfuit, litteris sacris plenè ac planè consignatam.

b Rom. 1.18 19. 2.14. 15.

Communis Experientia. Nam, vel ipsæ gentes à Deo alienæ, oracula Diaboli pro diuinis potius habuerunt, quàm vt ἀκτυπον hanc Theologiam negarent, eaque carere dicerentur [c]. Hinc enim factum, cum apud Ethnicos, Deorum alij Dei, alij Dæmones censerentur, vt bipartita Ethnicorum THEOLOGIA haberetur. Alia enim de veris Dijs, alia de Dæmonibus tractauit. Quæ de Dijs egit fuit constituta triplex, vt docet August. ex Varrone, μυθικὴ, φυσικὴ & πολιτικὴ. Quæ Dæmonum vim explica-

c Rom. 1.21. 22 23. Act. 17.22.

August. lib. 5 de Ciuitat. Dei, capit. 6.

bat

bat, fuit bipartita; Quia cum Dæmonum alij sint boni, alij mali, quæ de Dæmonibus malis placandis & auerruncandis agebat, καγία & γοητεία est dicta; Quæ autem bonos sacrificijs inuitabat, θεουργία & τελετή. Est ergo THEOLOGIA.

Definitur autem; Si vocis ἔτυμον respicias, λογιῶν θεοῦ seu eloquiorum Dei Scientia: si Rem Ipsam; Vera diuinarum rerum Sapientia, communicata diuinitus vel modo Naturali, secundum Principia ingenita, vel modo excellentiori, secundum Gratiam supernaturalem.

Atque de hâc THEOLOGIA hoc loco nobis sermo est. *Sapientiam* dicimus Scripturæ exemplo [a]; Rei præstantia, vtpote quæ certissimus Principiorum index est, & Amplissima scientiarum omnium princeps; Denique cognoscendi modo Singulari: Distinguitur enim hæc Sapientia ab ea quæ Terrena, Animalis, vel Δαιμονιάδης in Scriptura appellatur [b].

a 1. Cor. 2. 6. Coloss. 1. 9. 2. 3.

b Iacob. 3. 15.

Huius Theologicæ Sapientiæ subiectum sunt res diuinæ, tum Natura sua, tum Modo considerandi. Cum enim subiectum duas habeat partes, vnam quæ Materiæ locum tenet, & dicitur res Considerata, alteram quæ Formæ, & est Modus considerandi, vtrumque in huius subiecti explicatione obseruamus. *Res considerata* sunt Deus ipse, & Res omnes ad Deum ordinatæ, id est, Res omnes diuinæ, vel Natura sua, vel relatione ad Deum. *Modus considerandi* est ἀνάλογος diuinæ Veritati, Toti & singulis partibus æqualiter infusæ, Tradentis dignitati,

gnitati, Naturæ argumenti, & Conditioni eorum contemperatus, quibus traditur.

Atque hæc Natura est & veritas Theologiæ: Institutionis nostræ de illa METHODVM paucis explicamus.

Duplex est docendi METHODVS: Vna à Principijs; Altera ad Principia: illa à priori procedens à Causa ad effectum, & à Primis seu Summis ad ima & vltima: hæc à posteriori procedens ab Effectu ad Causam seu ab vltimis & imis ad summa & Prima. Prioris vsus præcipuus est in scientiis Contemplatiuis, Posterioris in Practicis.

Cum vero THEOLOGIA primarium & principem locũ teneat inter vtrasque, (vnde in Contemplantem, & Agentem à quibusdam distincta fuit (& quæ Sapientiæ ratio est, facultatem præstet; & bene sapiendi & bene agendi; factum est, vt diuersâ Methodo à diuersis tractata fuerit Theologia, ab omnibus haud incommode & bona fide.

Cum enim omnis ordo sumatur vel à rerum considerandarum natura; vel ex meliore & faciliore nostra cognitione: bene CALVINVS, MELANTHON, VRSINVS, qui melioris Cognitionis ordinem sequuti sunt methodo Analyticâ; bene etiam HYPERIVS, MVSCVLVS, HEMMINGIVS, ZANCHIVS, Naturæ ordinem sequuti methodo Syntheticâ.

Nos vtramque in hac nostra Institutione coniungemus, mutuantes à Synthesi dispositionem,

fitionem, ab Analyſi Inuentionem, vt ex vtraque exſurgat huius quod inſtituimus corporis Theologici Syſtema.

Ordine ergo Synthetico à primis Principiis ordiemur, vt per Media deueniamus ad vltima. Primorum autem, Mediorum, & vltimorum explicationem inſtituemus Analyticam; Primo veritatem docendo κατασκευαστικῶς; Deinde falſitatem ἀνασκευαστικῶς refutando: Illud quidem Definitionis Loci cuiuſque Theologici adminiculo & beneficio, Illiuſque per Cauſas ſuas Analyſi. Hoc vero, Appendice generalium Solutionum, quas cuique Loco ſubſternemus & præcipuis Aduerſariorum, Imprimis vero Bellarmini Argumentis opponemus. Hæc METHODVS.

LIBER PRIMVS DE SS. THEOLOGIÆ PRINCIPIIS.

SCIENTIARVM ſingularum ſua ſunt PRINCIPIA, ſupra quæ, vtpote indemonſtrabilia & Immediate prima non liceat aſcendere. Inter plures autem Scientias, Illa eſt perfectior, quæ ex ſuperioribus Principiis fit: perfectiſſima quæ reſoluit rem in Principia prima quæ à prioribus non pendeant, cuiuſmodi

iusmodi sola est THEOLOGIA. Principia enim aliarum scientiarum non sunt simpliciter prima, sed solum in suo genere, quia scilicet in scientia sua non habent alia priora. Theologiæ vero, nec in ipsa, nec extra ipsam vlla alia debent esse priora Principia, nec Principium Essendi, nec Principium Cognoscendi.

Duo enim sunt PRINCIPIA, Rei & Cognitionis. Illa ex quibus alia producuntur; Hæc ex quibus aliorum pendet cognitio. Vtraque Analogicè in Theologia à nobis considerari oportet. Principia enim duo vocis πρῶτον nobis innuit, θεὸν & λόγον. Deus Principium Essendi, ac Theologiæ Causa Prima, à qua tum finis Theologiæ, tum Media ad hunc finem oriuntur; Λόγος Principium Cognoscendi, per quod finis Theologiæ & media ad illum cognosci possunt.

Vtraque Principia immediate prima. Deus Principium immediate primum, quia hoc nihil prius fuit. Λόγος Principium immediate primum, quia hoc nihil prius dictum fuit. Quæ duo licet Principij dignitate & officio conueniant, tamen Ordinis Ratione, Actionis modo, & Effectus productione distinguũtur, ac sibi inuicem subordinantur. Nam Deus, primo Mediate in verbo nos alloquitur. Deinde: verbum mediate ad Dei cognitionem nos ducit. Quæ cognitio cum velut finis principalis ac subiectũ adæquatũ totius Theologiæ intendatur, Medium illi subordinatum, quod VERBVM diximus, præcognosci debet.

DE

DE VERBO DEI

PARS Κατασκευαστικὴ.

THEOLOGIAE PRINCIPIVM Dignitate Primarium est Deus, sed meliorie cognitionis ordine, Primum est VERBVM.

VERBVM intelligimus ἐνδιάθετον seu enuntiatiuum, quo cum homine Deus communicauit, aut Singulariter reuelatione per oracula, visiones, somnia: aut communiter, viua traditione doctrinæ per manus, aut modo excellentiori per SCRIPTVRAM.

HANC Definimus; INSTRVMENTVM sacrum de veritate ad salutem necessaria[a], per Prophetas & Apostolos[b] tanquam Dei Amanuenses fideliter & perfecte in libris Canonicis perscriptum[c] ad Ecclesiæ salutarem instructionem[d].

a Rom. 15. 4. 1. Tim. 4. 5. Ioh. 5. 39.
b Rom. 1. 2. 2. Pet. 1, 19. 2. Pet. 3. 15. 16.
c 2. Tim. 3. 16.
d 2. Pet. 1. 12. Psal. 119. 1. Tim. 4. 13. 16.

Instrumentum dicimus; tum Fœderis ratione, cuius fieri Instrumentum Deus voluit, & Nouato Contractu in publica Acta referri: tum Relatione ad aliud, Seu vsu & officio suo; quia Scriptura Sacra non est propter se, sed quæ instrumentorum ratio est propter aliud. Huius Instrumenti sacri Authoritas, Perfectio, Perspicuitas & Vsus; ex Causarum Methodica Analysi conspicua fient.

CAVSA EFFICIENS Scripturæ, est Deus[e] Pater, in Filio, per Spiritum. Hanc enim Pater Ecclesiæ exposuit sermone enuntiatiuo, & operibus Gratiæ & potentiæ, Communiter,

e 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 21.

muniter, & Singulariter, Ordinarie, & Extraordinarie [a]. Filius vtroque modo in nouo Testamento confirmauit [b], Spiritus sanctus sermone ἐνδιάθετῳ seu testimonio interno cordibus fidelium obsignat [c]. Diuina ergo est Scriptura, Origine, Rebusque tum Essentialibus atque Insitis illius, tum Assumptis.

a Heb. 1. 1.
b Ibid, vers. 2.
c Esai. 59. 21. Ioh. 14. 26.

Origene; Omnis enim veritatis scientia est à Prima veritate, cuius Scriptura Instrumentale symbolum est, ac velut efformata imago. Hinc & immediate Decalogum suo digito Deus inscripsit tabulis [d], & mediate totum illud Systema sacræ Scripturæ, singulasque partes illius per seruos suos, tanquam Actuarios, vel tabularios publicos, mandauit exarari [e].

d Exod. 34. 27.
e 2. Tim. 3. 16.

Diuina quoque est rebus tum *Insitis*, tum *adsitis* scripturæ. Nam & Essentiales illius partes, Materia, & Forma diuinæ sunt, & diuinus Finis, prout dicetur postea; & vel Aspectabilis significatio, & demonstratio Spiritus & Præsentiæ diuinæ, Antiquitas ipsa, Inuictum veritatis robur, aliaque plurima diuinam esse attestantur. Quę autem Scriptura Deum habet Authorem, diuinam habere AVTHORITATEM necesse est.

AVTHORITAS porro hæc duobus modis consideratur, primum quidem in se, deinde respectu Nostri. Authoritas Scripturæ in se diuina est, Causa, Subiecto, & Doctrinæ certitudine.

Causa. Tanta enim est Scripturæ authoritas, quanta est Spiritus Sancti [f] & rem & verba illius

f 1 Ioh. 1. 9.

lius dictantis, cuiusque Prophetæ & Apostoli tantum fuerunt amanuenses [a]. a Ioh.14.16.

Subiecto, cum enim testimoniorum de rei authoritate duplex soleat esse ratio, vna ex Efficacia Testantis, altera ex Natura & Proprietate instrumenti; Rerum, quarum Scriptura instrumentum est, respectu, Authoritatem summam habet & infallibilem [b]. b Heb.4.12.

Doctrinæ certitudine, Quam Virtute, Veritate, & Complemento Scriptura habet à Deo: *Virtute.* nam & semper eam spiritu suo confirmauit, & suis temporibus operibus gratiæ & potentiæ [c]. *Veritate.* nam Totam Veritatem communicabilẽ continet in se, & Sola, & Perfectè [d]. *Complemento.* nam vt Substantia, ita & Euentu in Scriptura omnia sunt certissima & verissima [e]. c 1.Thes.1.5. d 2. Pet. 1. 19. e Math. 24. 35.

Respectu nostri autem seu nobis est diuina Scripturæ Authoritas, Testificatione Dei, tum Singulari, tum Communi.

Singulari nam summam Authoritatem illam, tum publice testatus est Deus, ordinariè & extraordinariè, tum priuatim obsignat æterno Spiritu suo in conscientia piorum [f]. f Ioh.1.37. & cap.5.6.

Communi, nam primo Ministerium seruorum suorum indubitatum adhibuit Deus, vt notariorum idoneorum qui interuenerunt inter Deum loquentem & Ecclesiam quam alloquitur, ad perpetuam rei veritatem [g]. Secundo accedit Consensio Canonis Legis cum Veritate; reliquorum autem librorum cum Lege & Veritate. Tertio adest Ecclesiæ Assensio quæ Scripturam g Ephes. 2. 20.

pturam à Deo traditam probauit, accepit, ſeruauit, tradiditque Miniſterij verbi, illiuſque appendicis, diſciplinæ Eccleſiaſticæ vſu & exercitio.

Quæ Authoritas Eccleſiæ, *Secundaria* eſt, non ad ſtatuendam ſed ad teſtificandam diuinam Authoritatem *Scripturæ*. Vtraque enim agnoſcenda eſt, ſed ſuo gradu & ordine. Primaria quippe ſolida, & eſſentialis eſt *Scripturæ*: ſubordinata, accidentaria, & tota miniſterialis eſt Eccleſiæ.

CAVSA MATERIALIS *Sacræ Scripturæ* ſunt Res diuinæ, reuelatæ ad ſalutem pro captu noſtro, & relatæ in Canonem.

CANONEM appellamus Doctrinã vtriuſque Teſtamenti libris comprehenſam: cuius forma interna quidem, eſt Dei veritas immutabilis, Externa vero Scriptura ſacra, internæ illius ſymbolum abſolutiſſimũ. Scripturæ enim inſtrumentum veluti Canonis illius eſſentialis ſeu verbi veritatis indicem ad aſſerendam veritatem, quaſi externæ formæ, cõſtitutione quadam adhibuit & ſanctificauit Deus, vt ex ordinatione diuina, Fidei & Vitæ Canon eſſet, ſeu menſura adæquata Totalis & integra.

Huius Canonis & NATVRA & OFFICIVM explicanda veniunt.

NATVRA, cum enim triplex in Eccleſia ad hoc vſque tempus, Canon fuerit, vnus Diuinus, alter Eccleſiaſticus, tertius Falſus; quomodo propriè dictus Diuinus Canon ab Eccleſiaſtico, vterque à Falſo diſtinguatur, dignoſcere neceſſe eſt,

se est, Partibus suis, Modo tradendi & Conditionibus proprijs.

Huius Canonis *partes* secundum illa duo Ecclesiæ tempora, Veteris & Nouæ, in libros Testamenti veteris & noui distinguimus [a]. a Ier. 31. 30.

VETVS CANON est quam prisca Iudæorum Ecclesia diuinitus acceptum seruauit, & posteris per manus tradidit secundum Deum: cuius libri à Iudæis 22. à nobis distinctius 39. numerantur, & in tres classes diuiduntur, Prima continet πεντάτευχον Moysis. Secunda Prophetarum libros tum historicos, tum Propheticos; quorum alij, Ante deportationem editi, Iosuæ, Iudicum, Ruth, duo Samuelis, duo Regum, Historici: Esaias, Ieremiæ bona pars, & minores nouem Prophetæ, Prophetici: alij deportationis tempore, posteaque; Esdras, Nehemias, Esther historici; Ieremiæ pars aliqua, Ezechiel, Daniel & tres minores Prophetæ vltimi, Prophetici: Tertia continet ἁγιόγραφα, ante deportationem, Iobum, Psalmorum partem maximam; Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum; deportationis tempore & postea, duo Chronicorum.

NOVVS CANON est quem Christiana Ecclesia amplius habuit, inde à Christi Apostolorumque temporibus, cuius Canonis substantia est verbum à Christo enunciatum, & res gestæ; Quorum fidelissima historia in quatuor Euangelijs; Exempla in Actis, Exegesis in viginti & vna Epistolis, Prophetia in Apocalypseos libro continentur.

Modus

Modus vtriusque Canonis tradendi secundum Tempora Ecclesiæ & Personas variauit, Forma interna Canonis, id est, verbo Dei immutabili permanente. Nam vt pro tempore Lex seu libri Moysis Canon fuerunt in Ecclesia, ita & post Moysem quæ Scriptura accessit, fuit illius instrumenti & Canonis Exegetica.

Conditiones huius proprie dicti & Diuini Canonis sunt duæ: Vna, vt veritatem contineat in se, seu verbi veritatis Formam habeat expressam; Secunda vt diuina authoritate traditus, imperatus, & sanctificatus sit, vt sit nobis in Ecclesia Canon; quarum conditionum posterior à priori nunquam diuelli debet.

Sanctificauit autē Deus libros supra dictos, vt essent in Ecclesia Canon; partim Communi, partim Singulari modo. *Communi*, vtriusque enim Canonis libros approbauit & confirmauit Deus, non tantum Spiritus testimonio, sed etiam Canonis consensione, & Ecclesiæ Testificatione. *Singulari*: nam libros Veteris Canonis sanctificauit Deus singulariter, Πολυτρόπως sermone, signis, & euentis: Libros Prophetales & ἀγιόγραφα ante deportationem, signis extraordinarijs, nubis & fumi in templo [a]; Dei responsionis per Ephod, vrim & Thūmim [b]. Post deportationem testimonijs euentorum singularibus. Libros autem Noui Canonis sanctificauit Deus singulariter, tum per filiū suum patefactum in carne, eiusque dicta & facta [c], tum per Apostolorum suorum Ministerium, signis, virtutibus & miraculis efficacissimum [d]. Atque

a 1. Reg. 8. 10. Leuit. 16. 2.
b Exod. 28. 30.
c Heb. 1. 2.
d Math. 3. 5.

hæ

hæ Canonis diuini *partes, modus & conditiones.*

CANON alius est Ecclesiasticus, qui nec veritatem perfecte in se continet: nec à Deo in Ecclesia sanctificatus est, vt esset Doctrinæ ac Fidei Canon, qui ἀναγιγνωσκόμενον ideo à Græcis vocatus est. Ad hunc Canonem pertinent libri Apocryphi, siue integri, Esdræ tertius & quartus, Tobit, Iudith, Macchabæorum duo, Sapientia, Ecclesiasticus: siue appendices Canonicorum, Baruch, Oratio Manassis, & quæ ad Danielem & Estera adiecta sunt. Hi licet in Canonem Ecclesiasticum adoptati fuerint, Modis tamen euidentibus, id est, Fide, Ordine, & Vsu, diuini istius Canonis libris postpositi fuerunt à Patribus; vnde licet abusiuè Canonici vocati fuerint. Consuetudine scilicet, tamen Proprie in Ecclesia Apocryphorum nomine à Canonicis distincti sunt.

Falsus CANON est, qui postquam increuit Apocryphorum librorum authoritas, opinione humana constitutus est.

CANONIS officium duplex est: Vnum veritatem docere; Alterum hac veritatis regula controuersias omnes de religione decidere. Est enim Spiritus sancti, summi & interni Iudicis Propria & iudiciaria vox & sententia, à qua non liceat prouocare.

CAVSA FORMALIS S. Scripturæ duplex est, Interna & Externa. Illa est, qua Scriptura cum diuina veritate, & suis ipsius partibus est ἀνάλογος: Hęc est Sacræ Scripturæ ἀκριβολογία, qua omnia perscripta sunt stylo contempera-

to,

to, tum dignitati dicentis, tum naturæ dictionis, tum demum, conditioni eorum quibus dicitur.

Ex vtraque, vt etiam ex Causarum reliquarum consideratione, exsurgit S. Scripturæ PERFECTIO, & Secundum se, & oppositè ad Traditiones non scriptas.

Secundum se, quia totam veritatem communicabilē continet Scriptura perfectissimè, Principio, Subiecto, & Effectu.

Principio, Cum enim omne siue Rei siue Cognitionis Principium debeat esse Perfectū, & ex imperfecto nullæ Apodicticæ seu veræ deducantur conclusiones; omnino Sacram Scripturam, omnis doctrinæ de veritate Principiū Primum, Vnicum, & Immediatum, perfectissimam esse necesse est [a].

a Deut. 4. 2. 12. Vers. vlt.

Subiecto, Partes enim habet, tum Essentiales, de quibus diximus, Materiam & Formam, tum Integrales, Legem & Euangelium; Totaque perfecta est, & Absolutè & Relatè. *Absolutè*, quia secundum Substantiam aut Expressè aut Analogicè continet Doctrinam omnem, de Fide & de Moribus, quæ communicabilis est. (Nam, cum rerum diuinarum, aliæ sint Communicabiles, aliæ Incommunicabiles: Communicabilium vero alias in hac vita nobis non expediat communicari, alias expediat: Res diuinas Scriptura cōtineri Perfecte dicimus, quia & scibiles & scitu sunt vtiles [b].) *Relatè*, quia vt Perfectionem habet Totius, Ita & Partium habet perfectionem in Toto. Illa dicitur Perfectio

b 2. Tim. 3. 16.

ctio essentialis, Hæc secundum Quantitatem; ita tamen vt distinctis temporum cancellis, suis temporibus quæque pars suffecerit, nobis vero partes omnes in Toto.

Effectu, Nam facit hominem sapientem ad salutem, ad omne bonum opus instruit, beatumque efficit inchoatione in hac vita, consummatione in altera [a]. a Ioh.3.vers. vlt.

Nec tantum Secundum se Perfecta est: sed & Oppositè ad Traditiones non scriptas, quas omnes Perfectione sua excludit [b]. Kom. 15. 4. Ioh.3.59. b Gal.1.8.

TRADITIONVM nomine intelligimus, non generali significatione doctrinam vtroque modo traditam sermone & scripto, vt in Scriptura [c] & apud Patres sumuntur sæpissime: sed specialiori, pro omni Doctrina à Prophetis aut Apostolis non scripta, siue Dogmatica dicatur, siue Historica sit, siue Ceremonialis. Traditionum enim *Dogmaticarum* quæ ad fidem & ad mores pertinent, Perfecta ratio in Scripturis à Deo nobis tradita est, & quæ extra Scripturam traduntur non astringunt. *Historicarum* vero de Rebus à Christo aut Apostolis dictis aut factis, ratio communis perfectè Scripturis continetur quas scire nos expedit ad salutem: Quæ extra scripturam traduntur, pro Scripturis humanis habendæ sunt. *Ceremonialiũ* ipsum essentiale secundum genus ipsorum in verbo Dei perscriptum est, Ipsorum vero Accidentale quod est de Circumstantijs, Liberum est ac Mutabile. c 2.Thess. 2. 15.

CAVSA FINALIS pro ratione duplicis Obiecti duplex est: Summa & remota est Dei

in

in veritatis suæ conseruatione Gloria: Secundaria & proxima, de qua hoc loco sermo est, Ecclesiæ Instructio ad salutem

Huius Instructionis media necessaria Tria sunt: Perspicuitas Scripturæ, Lectio, & Interpretatio: Quorum illa Scripturam, hæc nos, vltima tum illam tum nos respicit.

Primum medium est PERSPICVITAS. Nam rei obscuræ & dubiæ doctrina, nec tradi debet, nec percipi potest, cum à notioribus omnis seu Naturæ, seu Doctrinæ ordine, Instructio instituatur. Cum autem notius aliud sit Natura, aliud Nobis; Perspicuitatem Scripturæ consideramus vtroque modo, tum Natura sua quatenus à Deo Inspirata est, tum ratione Nostri, quatenus inspiramur à Deo ad perceptionem illius.

Perspicuitatis illius in se duo sunt Argumenta, Res in Scripturis traditæ, & Modus illas tradendi: *Illæ* enim licet dignitate, & majestate sua obscuræ videantur, sitamen veritatem illarum cum suo ἀναλογίᾳ analogam [a], si Legem & Euangelium quibus tanquam partibus continentur [b], si summum rerum & verborum consensum [c], si demum effectum ipsarum primarium, ex doctrinæ, & salutis, nobis in sacris litteris oblatæ perceptione, gloriam Dei respicias, in se perfectam esse maxime necesse est [d].

a 2. Pet. 1. 19.
b Deut. 30. 11. 2. Cor. 4. 3.
c Prouerb. 6. 21.
d Ioh. 20. 31.

Modus autem res tradendi, seu stylus, & ad res ipsas de quibus agitur, & ad eos quibus instituendis tradita fuit Scriptura, est accommodatissimus,

datissimus, summam referens simplicitatem, tum in verbis; tum in Sensu & significato. *In verbis*. nam quæ Propriæ sunt loquutiones, Proprietate verborum lucent: quæ Figuratæ, perspicua sunt orationis sacræ lumina. *In sensu*, qui per se vnicus est, quem scilicet Intentio dicentis & Rei significatæ natura importat. Nam bene Scholastici, Theologiam Symbolicam non esse Argumentatiuã. Varie tamen ad vsum auditorum, per Anagogas, Allegorias, & Tropologias accommodari potest, manente vnico illo Literali & Grammatico Sacræ Scripturæ sensu integro.

Perspicuitatis Scripturæ respectu Nostri, duo itidem sunt Argumenta: vnum necessitatis Absolutæ, quod scilicet Scriptura fidei vnicum sit Medium & Instrumentum; cum enim fidei Elementa seu gradus sint Cognitio, Assensus, & πληροφορία, hæc tria absque Scripturæ Perspicuitate nullo modo constare possunt: Alterum ex hypothesi Promissionis diuinæ, de inscriptione legis in cordibus nostris, & diffusione seu Claritate doctrinæ Euãgelicæ[a]; cuius Promissionis complementum nullum foret, nisi sacræ Scripturæ, quæ legis, doctrinæque illius summam nobis exhibet, perspicuæ essent in omnibus quæ ad salutem sunt necessaria: Prout autem huius tum Fidei, tum promissionis sensus, Gradus sunt & Impedimenta à carne; ita & Perspicuitatis huius in regenitis. Vnde nec pariter omnia singulis, nec æqualiter singula omnibus, clara & Perspicua sunt. Omnibus tamen & singulis

a Esai. 59 21. Ier. 31. 31.

gulis pro demenſo Fidei, & Illuminationis diuinæ, ſufficienter ad ſalutem.

Secundum inſtructionis Medium eſt LECTIO ſacræ Scripturæ, quæ pijs omnibus & ſingulis neceſſaria eſt, tum propter Præceptum, tum propter Salutem noſtram, tum propter Edificationem aliorum. *Præcepti* ratio explicatur in Scripturis duobus modis. Expreſſe[a]. Analogice & ex conſequentia, quia in Scriptura Deus omnes alloquitur Scripturæ doctrina eodem iure cum omnibus eſt communis, Scripturarumque finis eſt, eſſe Potentiam ad ſalutem cuiuis credenti, & alia plura argumenta quæ vi conſequentiæ educi poſſunt. *Salutis autem* noſtræ ratio cum in Scripturis exponatur perfectè, vel illius aſſequendæ ſtudium officiumque lectionem Scripturæ nobis commendat *Communis* aliorum ædificatio; Cum enim vt vitâ, ita & doctrinâ alios inſtruere teneamur, Eam percipere oportet, in quibus & vitæ & doctrinæ regulam perſcriptam habemus perfectiſſime.

a Ioh. 1.39. Coloſſ. 4.16. 1. Theſ. 5. 27.

Tertium medium eſt INTERPRETATIO ſiue publicæ, ſiue Priuatæ authoritatis: cuius Principium eſt Spiritus ſanctus, Modus eſt veritas, Regula eſt Scriptura, vſus eſt Charitas: Media verò, quæ quidem Primaria ſunt, ſunt Perpetua Collatio ſacræ Scripturæ cum Scriptura: Conſideratio eſſentialium loci, id eſt, tum Intentionis dicentis, tum Naturæ dictionis: Analogia Fidei, vt omnia exponantur ſecundum veritatem primorum dogmatum in

Theolo-

Theologia; Quæ verò Secundaria sunt; sunt Praxis Ecclesiæ, Decreta Conciliorum sanctorum, & Expositiones Patrum: Quibus omnibus eatenus datur locus, quatenus cum Scripturâ & analogiâ fidei consentiunt.

DE VERBO DEI

PARS ΑΥΤΟΠΙΣΤΙΚΗ.

DE Veritate SCRIPTVRAE, in Definitionis illius per causas Analytica Explicatione dictum est; Pro Veritate illius contra Objectiones, generalium solutionum & Distinctionum appendice dicemus paucis, sequuti Causarum explicatarum ordinem & Methodum.

Distinctiones pro AVTHORITATE *Scripturæ contra Costerum Ench. lib. 2. cap. 2.*

I.

ECCLESIAE & Scripturæ duplex est ratio, vna communis respectu Authoris, altera singularis respectu authoritatis quam ipsis author indidit: Vtriusque author Deus est, siue mediatè, siue immediatè, Authoritas verò à Deo diuersa: Scripturæ Primaria & Formalis, Ecclesiæ Secundaria & Ministerialis.

II.

Scriptura duobus modis consideratur, vel Secundum verbi substantiam Primariò, vel Secundum Scriptionis Modum Secundariò. Illâ, Scriptura Ecclesiâ antiquior est, vtpote per quam generata est Ecclesia.

III.

Quædam ad rei confirmationem requiruntur absolute & per se, quædam per accidens & propter aliud. Si quâ Ecclesiæ confirmatione eget Scriptura, eget propter Accidens, non Per se, eoque confirmatio Ecclesiæ, non est Causæ Efficientis, sed Ministræ.

IIII.

In Causis coordinatis, ea quæ inferiores & posteriores sunt, non possunt aliarum priorum vim & facultatem obtinere. Omnis autem Ecclesiæ Authoritas est subordinata. Vtriusque tamen vsus maximus. Scripturæ, vt Medij ad credendum Principalis, Ecclesiæ vt externi & Ministerialis.

V.

Alia est Corruptio vocum ac locorum singularium quorundam, quorum vitio non possunt partes primariæ vitiari; alia essentialium partium Scripturæ. Prior si quæ accessit Scripturæ (posteriorem enim negamus omnino) non Scripturæ vitium est, sed aut aliena malitia, aut Ecclesiæ Infirmitate, aut particulari inscitia Domesticorum eius factum est.

Loca Scripturæ quæ detorquet Costerus, sunt.

Ioh. 14. 16. Resp. Male ad Ecclesiã transfertur communiter, quod de Apostolis dictum est singulariter. Horum enim testimonium est Immediatum, Inculpatum, & Extraordinarium, Illius vero Mediatum, Infirmum & Ordinarium.

Luc.

Luc. 10. 16. Resp. Quod de Officio Ecclesiæ respectu Censuræ & Disciplinæ Ecclesiasticæ dictum est, ad illius officium, respectu doctrinæ non est restringendum.

1. Tim. 3. 15. Resp. Quæ laudes Ecclesiæ in Scriptura tribuuntur, ministerium illius indicant non authoritatem, vtpote quæ Ecclesia depositum veritatis seruet, vt domus Dei; proponat vt columna ad quam appensa est, immotamque in columna seruet vt basis illius.

Distinctiones pro CANONE, *contra Bellarminum* 1. *Tom. lib.* 1. *cap.* 7. *ad* 16. *vsque.*

QVÆ obiectiones contra Canonem afferri solent, vel contra omnes Canonis libros communiter, vel contra singulos afferuntur singulariter. Harum omnium generales sunt solutiones.

I.

Concilia quæ de Canonicis libris & Apocryphis Canones habent, sunt aut vetera, aut recentiora: vetera, aut œcumenica quorum dignior est fides; tale est Laodicenum celebratum anno post natum Christum trecentesimo, quod eundem nobiscum Canonem agnoscit: aut Prouincialia, quale Carthaginense tertium celebratum anno quadringentesimo, nullam habens authoritatem, tum quia particulare, tum quia à priori œcumenico Laodicæo erroris conuincitur: aut recentiora sunt, Florentinum & Tridentinum, quorum authoritas nulla est, tũ quia nimis recentia, tum quia Papistica & Tyrãnica.

SACRVM, DIVINVM, CANONICVM, aut proprie, Regula, & Secundum Veritatem ita dicuntur; aut quadam Similitudine, id est, ex Opinione & Institutione Hominum tecundum quandam imaginem. Atque in vtraque significatione Sumuntur apud Patres communiter; Priori, cum agunt de libris verè Canonicis, Posteriori cum de Apocryphis.

III.

Eius est solius Canonem præstituere, dare & tueri in Ecclesia, qui author, Dominus & Seruator est suæ Ecclesiæ.

IIII.

Nec Apocryphus Apocryphi authoritatem confirmat, nec Concilia Florentinum & Tridentinum, nec lecti Ecclesiastica, nec demum Patres vel ex Apocryphis loca citando, vel Apocryphos Sacrarum Scripturarum denominatione designando. Alius enim est Canon Lectionis Ecclesiasticæ. Alius Canon Fidei.

Distinctiones pro PERFECTIONE *Scripturæ.*

CVM duo Argumentorum genera ab Aduersarijs contra perfectionem Scripturæ afferri soleant, vnum contra Necessitatem, alterum contra Sufficientiam: de vtroque agemus simul.

I.

Duplex est NECESSITAS, vna Absoluta, altera ex Hypothesi: seu; Necessarium aliquid dicitur duobus modis, vel vt Causa, vel vt Concausa; Verbum Dei reuelatum omnibus simpliciter est necessarium, vt causa, Scriptura vero vt concausa. Non sequitur autem; Patres ad Moysen vsque, causa necessaria vsi sunt, absque hac Concausa: ergo & nos. A Temporis enim mutatione fallax est conclusio.

II.

Sola traditio fuisse dicitur aut Secundū quid, id est, sine Scriptura, atque ita Traditionē fuisse fatemur ad Moysen vsque: aut simpliciter, & negamus; Habuerunt enim loco Scripturæ, innumerabilia Elementa alia, ac Rudimenta.

III.

TOTVM dicitur duobus modis; vel secundum quantitatem, vel secundum perfectionem essentiæ suæ; Singuli libri sufficientes sunt perfectione suâ essentiali, quamuis secundum rationem integralem & quantitatem suam, non habeant totius sufficientiam, sed suam.

IIII.

Qui libri perierunt, vel non fuerunt Canonici, vel eorum substantia in Canonicis habetur.

V.

Præcepta Dei alia sunt Expressa & Manifesta, alia vero Interna & Occulta. Mandauit Deus verbū suum perscribi, tum Interna spiritus inspi-

ratione, communiter vnde diuinitus dicitur inspirata : tum quibusdam Expresse Singulariter Apocal. 1. 11.

VI.

Omnia continentur in Scriptura vel Expresse vel Analogicè. Sic quid de Fœminis non circumcisis, de Infantibus mortuis ante octauum diem, de Gentibus seruatis, sentiendum sit, ex Scriptura Analogice potest sciri.

VII.

PRINCIPII Principium haberi non potest, nec quæri debet. Scripturam autem Diuinam esse non ex traditione cognoscitur ; sed Primo ex interno Spiritus Christi Testimonio. Secundo ex Testimonio Apostolorum tãquam publicorum Notariorum in Ecclesia. Tertio ex Testimonio Scripturæ, tanquam Instrumenmenti Diuini; Ac vltimo demum ex Testimonio Ecclesiæ Dei, Apostolorum & Scripturæ testimonium palam, ac velut in Columna proponentis.

VIII.

Scriptura non est Ambigua in se, sed nobis per accidens ac potius videtur esse vitio mentis nostræ; Deus autem illius interpres est ἀναμάρτητος per Spiritum suum & verbum scriptum. Atque hac traditione diuina opus est ad intelligendam Scripturam. Quæ enim de Æqualitate Personarum, Processione Spiritus, Peccato originis, Descensu Christi ad inferos cognoscere nos oportet, sufficienter ad salutem in Scripturis explicantur.

IX.

IX.

Quæ de virginitate Mariæ poſt partum, de Paſchate die Dominico celebrando, de Pædabaptiſmo, de Purgatorio dicuntur; Aut non ſunt Neceſſaria, vt primum & ſecundum, aut habentur in Scripturis analogice, vt tertium, aut ſunt falſa, vt quartum.

Loca quæ à Bellarmino contra perfectionem Scripturæ citantur 2. Tom. lib. 4. cap. 5. ſunt.

Ioh 16. 10. Reſp. De ſingulatibus agit locus, quorum ſcientia Infinita eſt, quæque idcirco in Scripturis non κατὰ μέρος & καθ' ἓν, ſed κατὰ λόγον & καθ' ὅλον explicantur: aut etiam de ijs, quorum reuelationem pro temporis œconomia differre voluit Chriſtus in tempus extraordinariæ illius & viſibilis Spiritus ſancti communionis.

1. Cor. 11. 2. Reſp. In Sacra Cœna Domini duo concurrunt, Ipſa *Subſtantialia* Cœnæ, id eſt, Materia & Forma. Deinde ipſa *Ceremonialia* ſeu Ritualia. Illa per ſe neceſſaria ſunt & fideliſſimè ab Apoſtolo tradita fuerunt. Hæc vero ſecundum quid; Quod enim in illis Morale eſt, neceſſarium eſt, eoque perſcriptum ab Apoſtolo; quod vero Rituale tantum eſt, Adiaphorum eſt, & Eccleſijs Liberum relinquitur.

2. Theſſ. 2. 14. Reſp. Traditionis vox æquiuoca eſt, vel enim ſignificat communiter Doctrinam omnẽ quocunque modo traditam, ſiue ſermone ſiue ſcripto; vel ſignificat ſingulariter & oppoſitè eam doctrinã quę Scripta non

eſt,

est: In prima significatione sumit Apostolus, nō secunda.

1. Tim. 6. 2. & 2. Tim. 1. 13. Resp. Depositum & Formam sanorum verborum non posse aliter explicari quam de ipsa Scriptura & Doctrinæ Christianæ Substantia, Docent omnes Loci circumstantię.

2. Ioan. 1. 2. Resp. Inconsequens est argumentationis genus à singularibus quibusdam aut factis aut ritibus quæ Scripto consignare non fuit necesse, Aliud de ipsa Doctrinæ Fidei Substantia.

Distinctiones pro PERSPICVITATE *Scripturæ contra Bellarminum lib. 3. 1. Tom. cap. 1.*

I.

SCRIPTVRAE siue claritas, siue Obscuritas duplex est. Vna NOBIS, quâ Rerum natura, quâ infirmitate nostra. Altera scripturarum MODO ac medio. Obscuritas omnis cuius mentio fit apud Patres, non est Scripturarum, sed vel rerum in Scriptura, propter Majestatem ipsarum, vel nostra qui absque interna luce Spiritus eas cognoscere non possumus, & quæ nouimus, ex parte tantum & modo imperfecto nouimus.

II.

Res Scripturæ, licet majestate sua nobis obscuræ sint, quâ tamen in Scriptura proponuntur, obscuræ non sunt. Modus enim dicendi modis omnibus Perspicuus est, nec in Scripturis vlla est aut Contrarietas, aut Ambiguitas,

tas, aut Falsitas; quæque hyperbaticæ sunt orationes. Phrases, Tropi & Figuræ, vllam illa um obscuritatem designant.

III.

Commentariorum vsus non simpliciter arguit obscuritatem Scripturarum, sed nostram Infirmitatem, Nec enim Doctrinam Scripturę Perfectam in se capimus modo perfecto, sed Modu'o nostro, Medijs imperfectis, & vt loquuntur, proportionatis.

IIII.

Dogmata quę in Scripturis proponuntur tribus modis considerantur. Primo in se, Secundò quatenus in Scriptura proponuntur; tertio quatenus à nobis intelliguntur. Primo & tertio modo Scripturæ aliquatenus obscuræ sunt, secundo maxime Perspicuæ.

Loca quæ ibidem citat Bellarminus sunt.

Psal. 119. 18. Resp. Aliud est agere de interna & naturali nostra cæcitate, cui succurri oportet Interna oculorum mentis Illuminatione: aliud vero de Obscuritate Scripturarum in se; eoque à Personis ad Doctrinam non valet consequentia.

Luc. 24. 17. Act. 8. 24. Resp. Quæ media inseruiunt Intelligentiæ & explicationi Scripturarum, non Scripturas respiciunt, sed nostram Infirmitatem, cui interpretatione ipsarum succurri solet & debet.

2. Pet. 3 16. Resp. Obscuritas rerum in se propter maiestatem ipsarum, distingui debet à

modo

modo illas tradendi, possunt enim res obscuræ perspicue tradi. Nec à parte Integrali ad Totum valet Consequentia; Quia aliud est Scripturam esse difficilem, aliud vero quædam esse difficilia in Scripturis.

DE DEO ET DEI ATTRIBVTIS

PARS Κατασκευαστικὴ.

SECVNDVM sacræ Theologiæ principium DEVS est.

Secundum dicimus nõ Naturæ ordine, Deo enim nihil Prius est, sed melioris Cognitionis nostræ, quia vt salutaris omnis Cognitionis de Deo instrumentum Primum est Scriptura: ita Rerum quæ huic cognitioni subseruiunt principium Essendi Primum & summum DEVS est; A quo omnia dependent Immediate.

De DEO autem (quem esse tam Natura & ratio docuit hominem ψυχικὸν sufficienter, ad ἀναπολογίας[a], tum Scriptura & Fides Christianum sufficienter ad salutem[b],) Duo nos cognoscere oportet. Quid sit, id est Naturam, &c. Quis sit, id est, Attributa illius.

a Rom. 1. 29. 20. 21.
b Ioh. 17. 3.

NATVRA Dei pro modo Reuelationis diuinæ, & modulo Cognitionis nostræ duplici via inquiri potest ac debet. Vna Nominis, altera Rei seu Definitionis: quibus duobus cognitio omnis de re aliquâ absolui solet.

Quicquid de Deo dicitur, certum est quòd Deus non est, id quod de eo dicitur, quia Ineffabilis

effabilis est; Tamen cum *Nomen* sit significatio eius rei quæ comprehendi potuit, quantum potuit; varia Deo Nomina in Scripturis attribuuntur; quibus non tam Natura Dei explicatur; quam illud quod de Ipsa à nobis cognosci potest.

Ea vero omnia sub duplici ratione exprimi & explicari solent; vna, *Negatiua*, altera, *Affirmatiua* seu Positiua.

Quæ *Negatiua* Deo nomina tribuũtur, vt, Immensus, Infinitus, remouent ab eo Imperfectiones Creaturarum.

Quæ *Affirmatiua*, aut enuntiantur *Essentialiter*; aut *Relatiuè*; aut per *Metaphoram*.

Essentialiter siue *Propriè*, quale est Propriũ illud & Essentiale Dei nomen de Iehoua, eique æquipollentia reliquâ, quæ nulli Creaturæ vnquam, ne Analogicè quidem attribui possunt; siue *Communiter*, quæ hominibus quidem adaptari possunt, Deo tamen conueniunt, tum Modo excellentiæ, vt Deus, Rex, bonus, sapiens &c: tum Modo Causæ Independentis, vt Creator, Redemptor, &c. quæ omnia distinguuntur in Deo non Essentiæ, sed Effectorum ratione.

Relatiuè quæ dicuntur, Nomina sunt Personarum, quorum nulla est, ἀνακύκλησις seu commeatio; sed singulis personis propria sunt Singulariter, Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

Metaphoricè enuntiantur, quæ *Deo* tribuuntur vel per ἀνθρωποπαθείαν, vt Homo, Iratus, Dormiens, vel per ἀναλογίαν & Similitudi-

tudinem, vt Leo Lapis, Fluuius, &c.

A NOMINVM Diuinorum Consideratione, pergimus ad *Rei* explicationem, seu ipsius Dei descriptionem.

Est autem DEVS, vt quam brevissimè definiunt Hebræi, Iehoua Elohim [a], id est, vna Essentia Trium Personarum.

a Exod. 6. 2. & 3. 13.

Huius descriptionis membra duo sunt. Vnum de ESSENTIA & Essentiæ VNITATE; Alterum de PERSONIS, & Personarum TRINITATE; quæ duo nec à Naturæ diuinæ explicatione separari possunt, nec in eadem confundi debent. Nam vt summa est ac indiuidua Essentiæ diuinæ VNITAS in Personarum plurálitate; (ESSE enim Patris, est ESSE Filij & Spiritus Sancti:) Ita Realis est ac discreta in Essentiæ Vnitate Personarum DISTINCTIO (Esse enim Patrem, non est esse Filium, aut Spiritum Sanctum.)

ESSENTIAE vnitatem dignoscimus duobus modis; primò ESSENTIAE veritate, secundò MODO vnitatis.

ESSENTIA est qua per se & ex se absolutè Deus est & existit: Est enim id solus quod est & qui est, id est, *sola* alteri non innitens.

MODVS *Vnitatis* non est Aggregationis, non Generis, non Speciei, non consensus; sed Numeri, quia non possunt esse multi Dij.

Hic vnitatis modus tribus probatur Argumentis; *Testimonijs* Scripturæ & plurimis & perspicuis Veteris & Noui Testamenti [b]. *Principio*, quod vt primum, ita & vnum necessario

b Deut. 6. 4. Esai. 44. 6. 1. Tim. 2. 5. 1. Cor. 8. 4.

ſario Eſſe debet. Nec enim duo aut plura infinita, aut ſumma dantur Principia: *Perfectione eſſentiali* quam Perſonæ habent communiter, Totam in omnibus & Totam in ſingulis. Eſt enim tota Diuinitas ſui Perfectione Æqualis [a]. a Ioh. 5 26. Math. 11.27.

Ex hac vero Eſſentiæ in Perſonis Identitate, ſeu ſingulariſſima & maxime vna vnitate, Chriſtus dicitur eſſe in Patre, Pater in Chriſto [b]. Quæ res à Patribus περιχώρησις, ſeu Immeatio perſonarum dicta eſt. b Ioh. 14. 10.

Hæc Eſſentia, quæ Numero ac Indiuiduo VNA eſt, Improprie à Perſona, Perſonæ dicitur communicari, cum Eſſentiæ ſit ἀυθ' ὑπόστασις, illiuſque reſpectu Tres in Diuinitate perſonæ ἀνυπόστατοι ſint, Proprijſſime vero tribus Perſonis Communis dicitur; Non vt Vniuerſale Singularibus, non vt Accidens Subiectis, non vt Cauſa Effectis, non vt Totum Partibus, non denique vt Res Rebus; ſed vt Res ſuis Modis qui ſunt in Re. Sunt enim PERSONAE τρόποι ὑπάρξεως ſeu Modi Eſſentiæ Diuinæ, à qua diſtinguuntur, non Sola Ratione, non diſtinctione Reali, ſed Rei gradu ac modo.

PERSONAE ergo Nomen (quod contra Sabellium, Patribus vſurpatum eſt, vt, tum Eſſentiæ contra Samoſatenum, tum vtriuſque contra Arianos;) Tria ſignificat. Primo, ipſum Indiuiduum ſubſiſtens, intelligibile, incommunicabile, & non ſuſtentatum ab alio. Deinde ipſas Proprietates Indiuiduorum, quibus ab alijs diſtinguuntur, & quas *Principia Indiuiduantia* vocarunt Scholaſtici; vltimo, vtrum-

vtrumque simul, Subsistentia Individua cum suis Proprietatibus, & *Modi Essentiæ* dicuntur; quia nihil aliud significant quam Essentiam in vno aliquo Individuo subsistentem, & sua Proprietate secretam ac definitam.

PERSONAE istiusmodi Tres sunt, PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS[a], non gradu, statu aut dignitate, sed *Ordine*, *Numero*, & *Modo agendi* distinctæ.

a Esai. 63. 7. 8. Math. 3. 16. 17. Ioh. 15. 26.

Ordine. nam PATER Prima est persona à se, non ab Alio, tum ratione Essentiæ, tum Ratione Personæ existens[b], FILIVS Secunda; ratione quidem Personæ à Patre existens Æterna generatione, (cuius vt Veritas hyperphysica, ita & Modus ineffabilis est;) quoad Essentiam autem absolutam, à Seipso est, & αὐτόθεος. SPIRITVS SANCTVS Tertia à Patre & Filio ἐκπορευτὸς Ratione Personæ suæ Procedens & Emanans[c]; Ratione vero Essentiæ, Deus à se cum Patre & Filio.

b Ioh. 5. 7. 1. Ioh. 6.

c Psal. 2. 7. Ioh 1. 14. 1. Ioh. 15. 26.

Numero. Nam inter se verè distinctæ sunt & per se singulæ subsistentes. Nam & Relationes personarum sunt Incommutabiles, & Incommunicabiles, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quæ nō Essentiæ, sed Relationis & Personarum nomina sunt: & Proprietates, quæ exinde fluunt & emanant, Personas inter se distinguūt, Paternitas seu ἀγεννησία, γέννησις, & ἐκπόρευσις; quæ Opera ad intra sunt, ac diuisa, id est, cuique Personæ Incommunicabiliter Propria.

Modo agendi. Nam etiam in Operibus ad extra quæ indiuisa sunt, Personæ operantur quidem

quidem eadem, sed non eodem modo: Pater Creat, Filius Redimit, Spiritus sanctus Illuminat, respectu Causæ, & Effectus seu ἐνεργείας æqualiter & inseparabiliter, respectu Termini, distinctè.

Hæ TRES PERSONAE, Deus sunt, Inconfusè Trinus in Vnitate, Indiuisè Vnus in Trinitate. PATREM Deum esse, fatentur omnes.

FILIVM Deum esse Tria probant, AEqualitas essentiæ Diuinæ cum Patre, Nomina diuina, & Propria Dei Essentialia.

AEqualitatem & Christus probat Analogicè ex operibus suis [a], & expressè ponit Paulus [b], & confirmant Parallela loca plurima Veteris & Noui Testamenti.

Nomina diuina quæ Christo attribuuntur sunt ea omnia, quæ Essentialiter de Deo dicuntur; siue Propriè, Dicitur Iehoua [c]; siue communiter dicitur Deus [d].

Propria Dei Essentialia, quæ Christo attribuuntur, sunt; Siue *Idiomata*. AEternitas [e]. Omnipræsentia [f]. Omniscientia [g]. Omnipotentia [h]. Siue *opera diuina*, Creationis [i]. Redemptionis [k]. Miraculorum [l]. Siue *Cultus*, Inuocatio & Fides [m].

SPIRITVM SANCTVM Esse Deum, probat eadē Argumentorum series. *AEqualitatem* probat Christus [n], *Nomina diuina* quæ illi tribuūtur sunt & Proprium illud Iehouæ [o], & Commune, Dei aliorumque [p]. *Propria* eadem illi tribuuntur in Scriptura, Siue *Idioma-*

a Ioh. 5. 18.
b Philipp. 2. 6. Colloss. 2. 9.
c Esa. 42.
d Esai. 9. 6.
e Apoc. 1. 17
f Math. 18. 20.
g Apoc. 2. 23.
h Phil. 3. 21.
i Ioh. 5. 46.
k Epheſ. 1. 2.
l Math. 8. 2.
m phil. 2 10.
n Ioh. 15. 6.
o Act. 1. 16.
p 1. Cor. 3. 16. Act. 4. 24.

ta;

a Heb. 9 14.
b Rom. 8.9.
c Ioh. 14 26.
d Heb. 3. 7.
e Iob. 26. 15.
f 1. Cor. 2 10.
g Rom. 1. 5.
h Math. 28. 19.

tas; Æternitas [a]. Omnipræsentia [b]. Omniscientia [c]. Omnipotētia [d]. Siue *Opera diuina*, Creationis [e]. Redemptionis [f]. Miraculorum [g]. Siue cultus diuinus [h].

Atque hæ tres personæ sunt vnus Deus. Nam quamuis Personaliter alius sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tamen Essentialiter non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus.

Huius tum VNITATIS, tum DISTINCTIONIS Veritas ac perfectio spectatur in cognitione ATTRIBVTORVM seu Proprietatum, tum Essentiæ, tum Personarum.

PROPRIETATES Personarum, dicimus, Characteristica Idiomata seu Attributa determinatiua, quæ à Personis proficiscendo & in Personis terminantur, & Personas determinãt, tum in se, tum inter se: Harum enim ad personas duplicem velut respectum consideramus Personalem, & Notionalem, vtrumque in Relatione, sed diuerso modo ac gradu.

Personalis respectus est in illis Proprietatibus, quæ connotant quidem Relationem, præcipuè tamen (secundum vsum quem in Sacris Literis & apud Ecclesiasticos Doctores obtinuerunt) notant ac designant ipsa Subiecta seu Hypostases, vt sunt Nomina Personarum *Notionalis* respectus est in illis Proprietatibus quæ Notiones seu Relationes appellantur, quarum vsus in sola relatione est, vt sunt Nomina Generationis, Natiuitatis, Processionis.

Pro-

Proprietates Essentiæ; dicimus attributa in Deo, Deo Essentialia, quibus & Essentiæ veritas in se innotescit & ab alijs distinguitur; sic tamen vt nec ab Essentia, nec inter se, realiter differant. *Non ab Essentia*, quia sic sunt in vna Essentia vt sint ipsa Essentia; Est enim Deus ἁπλῆ ἐνέργεια. *Non inter se*; Quia quod in Deo est VNVM est; A prima autem vnitate omnis prorsus differentia, omnisque numerus abesse debet.

Quia vero nec ab Essentia, nec inter se differunt, non sunt Qualitates mediæ inter potentiam & Actum: sed in Deo sunt intimæ, Actuales, Perpetuæ, & à forma actuque Essentiali, vnde Deus sine compositione Materiæ & formæ, Substantia est: sine Qualitate, Bonus, Verus, Iustus, &c. sine Quantitate aut termino Maximus, & Immensus: sine Motu, Actus: sine Passione Misericors: sine Situ, præsentissimus: Extra Tempus, primus & nouissimus: sine Habitu aut accessione, rerum omnium Dominus. Omnes enim Proprietates, de Deo essentialiter prædicantur: idque tum *Formaliter* & in Abstracto, propter perfectionem Essentiæ indiuiduam: tum *Subiectiuè* & in Concreto propter veritatem Dei existentis.

Harum PROPRIETATVM Aliæ Essentiam nobis denotant, velut à Priori, tum *Negatiuè* vt Infirmitas, tum *Affirmatiuè* vt Simplicitas. Aliæ velut à Posteriori, idque tum *Propriè*, vt eæ quæ Deo primo & per se insunt, Potentia, Scientia, Voluntas; tum *Impropriè*,

vt

vt eæ quæ translatiuè & secundum similitudinem ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicuntur, vt Amor, Ira, &c.

Quæ à Priori Deo insunt, soli & vni Deo secundum Essentiam, Actum, & vlum tribuuntur, eæque Incommunicabiles dicuntur, vt SIMPLICITAS, INFINITAS.

SIMPLICITAS est in Deo penitus Individua & Absoluta, nullam admittens aut Diuersitatem, aut Compositionem partium seu accidentium, nec in Se, nec in Personis, nec in Operationibus. *Non in se:* Nam Deus idem est quod sua Essentia, idem Essentia quod esse Dei [a], Deus enim est primus & purus actus, à quo aguntur omnia, & quo agunt omnia.

a Ioh. 5.16. 1. Ioh. 17.

Non in Personis. Nam Essentia est tota & eadem in omnibus, tota & eadem manens in Singulis: vnde Patrem dicimus esse in Filio, Filium in patre [b], Spiritum Sanctum in vtroque, & singulum in singulis. *Non in Operationibus* [c]: quia Essentia, Voluntas & Actio penitus idem sunt: sicut enim naturaliter fert Dei Essentia, ita Vult & Agit, & vicissim quemadmodum Vult & Agit, ita fert eius Essentia. Nec ergo in Deo differunt Actus & Actum, sed idem sunt; ita vt dum Vnum à diuinitate videtur fieri, omnia simul efficiantur in Vno; dum Multa, vnum efficiatur in multis.

b Ioh. 14. 10.

c Ioh. 5. 19.

Ex hac Simplicitate summa Dei PERFECTIO concluditur: Quod enim vnum est & simplicissimum, illud omnium est sufficientissimum [d], maximeque se ipso contentum,

d Exod. 3. 13. Act. 17. 4.

eoque

eoque tum sibi ipsi, à seipso & in seipso ad omnia & in omnibus ἀυτάρκεος, tum alijs exemplar ac causa omnis perfectionis, Naturæ & Gratiæ.

INFINITAS in Deo, non est magnitudo aut multitudo quam non liceat pertransire, sed Potestas immensa, seu actus Immensitas, qua nec Extrinsecus nec Intrinsecus finitus est, in Seipso vbique Totus, seu intimè in omnibus rebus Essentia sua & Virtute.

Essentia enim *sua* Deus vbique est [a], seu magis propriè loquendo est ipsum VBIQVE, Id est illud ipsum quod vbique dicimus, in omni loco sine Definitione, Dimensione aut Circumscriptione, in omni Tempore sine mutabilitate, Totus in rebus omnibus, Totus in singulis, Totus in seipso. Modus huius infinitatis est, vt nec multiplicetur, nec rarefiat, nec diuersa fiat Dei Essentia, sed eadem tota & vna, omnibus & singulis præsens dicatur, à nullo tamen contenta; Secundum quem modum Deun & vbique dicimus & nullibi: siquidem, quatenus à nullo continetur nusquam est, quatenus omnia continet vbique est.

a Psal. 145. 3. 1. Reg. 8. 27. Ier. 23. 23.

Virtute sua Deus vbique est, quia eo vniuersum hoc & perfectum est & afficitur, sic tamen vt nec perficiendo virtus illa Dei debilitetur, est enim immensa & infinita, nunquam & nusquam deficiens: nec afficiendo patiatur; est enim Deus superessentialis potestatis, tũ comprehendens superficies omnium, tum se tota penetrans profunda rerum.

Huius

Huius INFINITATIS consectarium necessarium, ac velut per emanationem, est IMMVTABILITAS, Immutabilitatis, AETERNITAS. Qui enim Infinitus est nec moueri potest, nec mutari, secundum qualitates Exteriores & Interiores; & cum in se & à seipso habeat plenitudinem perfectionis, a Essentiæ & Vitæ, non potest extendi nec secundum Esse nec secundum Operationem. Qui Immutabilis est, in naturam alteram minimè mutatur, sed totam possidet neque accipiens illam neque accepturus: sed sine tempore is est qui est, & qui non est nunquam fit; atque illud est quod AETERNVM vocamus b.

a Iacob. 1. 17. Mal. 3. 6.

b Psal. 90. 2. Apo. 1. 8.

Quæ PROPRIETATES à Posteriori Deo insunt, de illo quidē primò & per se dicuntur, sed tamen secundum illiustum Actus, tum Vsus analogiā in Creaturis, illis cōmunicantur, ac de illis in concreto prædicantur, quæ Cōmunicabiles ab alijs dicūtur. Hæ ergò in Deo sunt, Intime, secūdum principiū, & immobiliter; in Creaturis accidentaliter, ex participatione, & mobili ratione, vt sunt ex præcipuis, POTENTIA, SCIENTIA, VOLVNTAS.

POTENTIA in Deo est, qua quæ *Vult* omnia perfecte Agit, quæ omnia *velle potest*, perfecte agere potest. Hæc Absoluta, illa Actualis c dicitur, vtraque Activa est.

c Psal. 136. 6.

Vult autem Deus, tum *actu interno* & æterno, qui actus est in Deo vel secundum principium ac terminum, vt intelligere Dei, vel secūdum principium quidem in Deo est, sed se-

cundum

cundum terminum in alio, vt Prouidentia, Prædestinatio, & respectu huius actus, Potentia Actualis in Deo dicitur *Immanens*: tum *actu externo* & temporali, vt Creatio: Redemptio; & respectu huius actus Potentia actualis in Deo dicitur *Transiens*.

Velle potest Infinita[a], prout Esse eius est Infinitum, Atque ita agere quoque potest Infinita, quæ absolutè possibilia sunt, nec tamen vnquam ad certum rerum ordinem determinabuntur: Plura ergò quam facit si velit facere potest, nunquam tamen facere volet. a Math. 39.

Sicut vero non potest velle, nec Contraria (vt malum, bonum) nec Contradictoria (vt Esse, non Esse.) Ita nec agere potest, aut Contraria, quæ in natura maxime simplici, ac incommutabili subsistere nequeunt: aut Contradictoria, quæ in Essentia Dei falsitatis omnis expertè, ac in veritate maximè absoluta & perfecta, locum non habent. Hæc tamen non posse est Potentiæ: Ille enim maximè potens est qui constanti & immutabili fruitur potestate, & ab ipso quod vnum est, nullo modo digreditur; Nam opposita posse est Infirmitatis: omnino potentis in optimo permanere.

SCIENTIA in Deo est, qua & Seipsum nouit in seipso, & extra se Vniuersa & Singula per seipsum, Actu individuo & immutabili. *Seipsum* enim solus Deus nouit & intelligit[b], actu intimo & perfectissimo, Infinitus, Infinitum se comprehendens infinitè. Nec tamen b Math. 11. 27.

dum

dum intelligendo se, se comprehendit, alius est intellectus Dei quo comprehendit, alius ipse quem comprehendit, nam Esse, Intelligere, Comprehendere reciprocantur.

Nouit quoque extra se *Vniuersa*, & *singula* in communi & distincta cognitione[a], Materiæ, Formæ, & vtriusque Accidentium, bonorum & malorum: verum per seipsum bona quidem nouit, mala per bonum oppositum.

a Heb. 4. 13.

Nouit tamen & Seipsum & alia Actu Indiuiduo, quatenus vno Intelligentiæ ictu, totoque simul intuitu, vniuersam rerum distantiam vel localem vel temporalem complectitur, omnia simul & semper possidens quæ apud nos temporibus euoluuntur. Estque Indiuidua hæc, & præsentaria Dei scientia in Deo immutabilis est, tam Contingentium quam Necessariorum: Contingentibus sortem Contingentiæ imponens, vt & Necessarijs legem Necessitatis.

VOLVNTAS in Deo est qua Deus liberè & immutabiliter vult suam gloriam, vt Finem, & alia omnia vt Media ad hunc finem. Hæc voluntas cum sit & Finis & Mediorum, Prima & summa est caussa rerum, caussas reliquas simul in se complectens, easque primæ illi caussæ subordinans.

Licet autem voluntas sit vna in vna Essentia, ex ratione tamen obiectorum & effectuum bonorum & malorum, distinguimus illam in *Beneplacitum*, & *placitum*: Ratione enim Effectuum

ctuum bonorum, quorum Deus finem, & media intendit primo & per se, *Beneplacitum* dicimus illam voluntatem [a]: Ratione vero Effectuum malorum, in quibus Deus finem quidem primo & per se, sed non ipsa Media nisi propter finem intendit, *Placitum* dicimus [b].

a Ephes. 1. 5

b 1. Cor. 10. 5

Hujus Placiti & Beneplaciti voluntas in Deo est Immutabilis ut nec falli nec fallere possit. *Non falli*: respectu voluntatis illius Arcanæ, secundum quam Deus ab æterno omnia præscivit, determinauit, voluit [c].

c Rom. 9. 19 Esai. 46. 10.

Non fallere: respectu voluntatis illius revelatæ, secundum quam Deus voluntatis illius æternæ scientiam ac revelationem communicavit, nobis necessariam ad salutem.

DE DEO ET DEI ATTRIBVTIS

PARS Ἀνασκευαστική.

Distinctiones pro VNITATE ESSENTIAE.

I.

DEI nomen sumitur aut Propriè, idque tum Essentialiter tum Personaliter, aut Impropriè, idque tum per Concessionem & μιμήσιν, cum Scriptura agit de falsis & fictitijs Dijs, tum Nuncupative seu per ἀναλογιαν, cum agit de Dijs, non natura sed Donorum diuinorum & Officij ratione.

II.

VNVM & TRINVM non opponuntur

Privative, quia de Deo utrumque diuerſo reſpectu verè enuntiatur, Vnum reſpectu Eſſentiæ, Trinum reſpectu Perſonarum.

Diſtinctiones pro TRINITATE *Perſonarum, ac Primum pro Illarum Diſtinctione.*

I.

ALIA Ratio eſt eorum qui & Finiti & Diviſibiles ſunt, qui hoc ipſo ut perſonis, ita & eſſentijs diſtinguũtur: alia vero Dei, cujus eſſentia ut Infinita, ita & Indiviſibilis eſt, ac proinde una tantum.

II.

Quæ Actiones Cauſa & Effectu communes ſunt, Actionis ſeu Effectus Termino diſtinguuntur: Eadem enim operandi Cauſa eſt in Divinis, idem opus; Sed Modus Operandi diverſus.

III.

Nomina quæ Perſonis tribuuntur in Scriptura, quædam perſonas ipſas, quædam perſonarum proprietates, quædam operationes extra perſonas deſignant.

LOCA.

Ioh. 14. 9. Reſp. Aliud eſt agere de ordine perſonarum inter ſe, aliud de ordine cognitionis noſtræ ad ipſas.

Ibidẽ 10. Male à Phraſi & loquutione Eſſentiali proceditur ad perſonalem; quædam enim dicuntur de perſonis abſolute reſpectu Eſſentiæ, quædam Relate quà perſonæ ſunt.

Co-

Coloſſ. 1. 15. Imago alia eſt Accidentalis, alia Subſtantialis.

Deinde pro Perſonarum Ὁμοουσία.

I.

ALIVD eſt agere de Origine Eſſentiæ quę in diuinis nulla eſt: aliud de Origine Perſonarum. Filius & Spiritus ſanctus Perſonæ tantum originem habent, Ille Generatione, Hic Proceſſione æterna: Neuter Eſſentiæ.

II.

Qui omnia habet, & habet à natura, non à Gratia, non eſt inferior eo à quo habet; Inæqualitatis enim alterutra ratio tantum dari poteſt.

III.

Miſſio & obedientia non tollit æqualitatem Potentiæ, nec Mittens & Miſſus diſtinguuntur proprietatibus Eſſentialibus, ſed Perſonalibus.

Loca Scripturæ.

Loca 1. ad Corin. 8. 6. Eph. 4. 6 Solus Deus dicitur Pater in Scripturis duplici reſpectu. Primo oppoſitè ad Creaturas & Fictitios Deos, non excluſiuè ad Filium & S. Sanctum. Secundò κατ' ἐξοχὴν ſolus Deus dicitur, quod nempe non ſit ab alio ne quidem ratione Perſonæ.

Luc. 11. Patris nomen interdum ſumitur ὑποστατικῶς, cum diuinitus intra ſe deſcribitur, & Perſonæ diuinæ inter ſe diſtinguuntur: interdum οἰκονομικῶς dum deſcribuntur Opera Externa & beneficia Dei erga creaturas & Eccleſiam.

Diſtinctiones pro Attributis.

Pro SIMPLICITATE.

QVODCVNQVE ſimplex eſt; aut Abſolutè & per ſe tale eſt, aut Comparatè & reſpectu corporum. Primo modo Deus ſimplex eſt, ſecundo Angeli & animæ. Si quæ verò compoſitio Deo tribui videtur, tota eſt Accidentalis, vel reſpectu Actionum, vel Subiectorum in quę operatur, vel denique Propoſitionis quæ de Deo enuntiatur.

Pro INFINITATE.

Deus proprie loquendo non eſt in loco quia Nullibi contentus eſt, tamen vbique quia omnia continet & contingit non Quantitate ſed virtute.

Pro IMMVTABILITATE.

Quæcunque mutatio Deo in ſcripturis tribui videtur, non eſt in Deo ſed in rebus, eoque Pœnitentia cum de Deo enuntiatur non Affectum in Deo ſed Effectum Dei in hominibus ſignificat.

Pro ÆTERNITATE.

Æternum quid dicitur aut Propriè aut Analogicè, Propriè quod Naturâ nec Principium nec Finem habet. Analogicè quod ortum habens, Gratia & virtute Dei finem non habet. Priori modo Deus æternus eſt, ſecundo Angeli & Animæ.

Pro

Pro SCIENTIA.

Scientiæ actus in Deo est indiuiduus, vnde nec præscientia nec reminiscentia in Deum cadunt, nisi respectu nostro.

Pro POTENTIA.

Potentia in Deo illud omnè tollit, quod est aut Potentiæ Finitæ, aut impotentiæ.

Pro VOLVNTATE.

Voluntas Dei aut est Absoluta aut Conditionalis Nec in Deo contradictoriæ sunt voluntates, rebus & Personis eodem modo sese habentibus.

LIBER SECVNDVS DE SACRÆ THEOLOGIÆ prima parte, id est, de Dei Operibus seu causis Salutis Nostræ.

POSTQVAM de PRINCIPIIS Sacræ Theologiæ actum est, de PARTIBVS illius videndum est.

PARTES autem Theologiæ pro ratione Finis & Mediorum ad Finem Duæ sunt. Vna de CAVSIS Salutis nostræ, eoque de Dei OPE-

RIBVS & Effectis. Altera de SVBIECTO illius, id est, HOMINE, varioque Hominis Statu. Salus enim quæ THEOLOGIAE Finis Proximus est, duobus modis consideratur, tum *In se* & *Causis suis* simpliciter, tum *Relatè* ad Subjectum ad quod ordinata est, qua ratione varie modificatur, pro conditione subjecti multiplice in quo est.

OPERA Dei, de quibus in Prima Theologiæ Parte agendum est; Duorum sunt Generũ; INTERNA seu Immanentia; EXTERNA seu Transeuntia; illa in ipsa Dei Essentia sunt Actu Interno & Æterno; Hæc à Deo transeunt in Creaturas Actũ Externo & Temporali. Primorum genus est PRAEDESTINATIO Secundorum, si Opera Naturæ Respicias, CREATIO & PROVIDENTIA, si vero Gratiæ, REDEMTIO & restauratio.

DE PRÆDESTINATIONE.

PARS Κατασδλαγικὴ.

DE PRAEDESTINATIONE dicturis, Primo quid Nominis, deinde quid Rei explicandum est.

PRAEDESTINARE cum sit Res in fines destinare & ordinare [a], pro Finium ratione & consideratione multiplici, variè apud doctores Ecclesiasticos sumi solet.

a Rom 8. 29. Ephes 1. 5.

FINES autem in genere ad quos Res creatæ à Deo ordinantur, duo sunt. Vnus ad quem Res feruntur *Naturæ ordine*, seu secundum Naturam ordinatione divina, alter qui Excedit

Pro-

Proportionem Naturæ creatæ, & Hominis ſtatum reſpicit extra Temporalem & Animalem hanc vitam. Prior *Proportionatus*, Alter *Superexcedens* Scholaſticis dicitur.

Prioris FINIS reſpectu; PRAEDESTINATIO eſt Decretum Dei, ſeu Iudicium Mentis diuinæ, tam in genere de Rebus omnibus creatis[a], quam in ſpecie de Creaturis Rationalibus ad certum Finem tranſmittendis. Atque in hac ſignificatione etiam Prouidentia ab alijs dicitur, & à nobis Internarum & Immanentium Actionum Dei genus dictum fuit. *Poſterioris* FINIS reſpectu; Synecdochicè, Prædeſtinatio ſumitur duobus modis; prout ſtatus hominis extra animalem hanc vitam duplex eſt, vel *communiter* & *impropriè* pro Decreto Dei æterno de hominibus tum ſaluandis tum puniendis; tum *ſingulariter* & *propriè* pro actu deſtinationis ad Salutem æternam, in mente diuina exiſtente. Atque in hac ſignificatione prædeſtinationem ſumimus hoc loco.

a Act. 4. 28.

Hæc PRAEDESTINATIO duobus modis ſeu gradibus dignoſcenda eſt. Primo In Se & Cauſis ſuis ſimpliciter. Secundo Oppoſitè ad ſua Contraria.

Eſt igitur PRAEDESTINATIO Actus diuini beneplaciti, quo Deus ab æterno propoſuit in ſeſe, de Vniuerſitate Creaturarũ, certas aliquas gratiæ & gloriæ ſuæ participes efficere in Chriſto, ad laudem ſuam & ſalutem ipſarum[b].

b Epheſ. 1. 5. 6.

CAVSA EFFICIENS huius prædeſtinationis, *Primaria* Deus eſt, in quo & à quo ipſe

Prædestinationis Actus est tanquam à mente diuina & in illa præformatus, Res & Causas omnes omnino præcedens[a]. *Impulsiua* verò est beneuolus Affectus voluntatis Dei in Christo, qui εὐδοκια τῦ θελήματος τῦ θεῦ [b] in Scripturis vocatur.

a Ephes. 1.5. Rom 8.29. 2. Tim 1.23.
b Ephes. 1.5.

Actus autem hic diuini beneplaciti, qui in Deo simplex est & vniformis, quoad humanũ intelligendi modũ, duas habet veluti distinctas Præordinationes Prior est de Fine. Altera de Medijs ad Finem. Illa distinctè Electio & prænotio vocari solet: Hæc vero communi nomine Prothesis & Prædestinatio[c]. Vtraque vero Præordinatio est ab æterno, ante omnes Res & Causas, in rebus existentes[d].

c 1. Pet. 1.2. Rom. 9.11.8. 29.
d Rom. 9.19. Act. 13.48. Rom. 9.11. 11.6.

MATERIA Prædestinationis, seu magis propriè loquendo Obiectum, est Homo ex cõmuni Natura sui generis supra Naturam euehẽdus. Huius Obiecti pro duplici illa Actus consilij diuini Ratione, duplex debet esse consideratio; Si enim Præordinationẽ *Finis* respicias, Prædestinationis Materia Homo est cõmuniter seu Absolute[e]. Si vero *Mediorum* ad finem, Homo est, à se & in se periturus, & reus in Adamo[f].

e Rom. 9.20. 11.35.
f Esai 54.16. Rom. 9.22. 1. Thes. 5.9.

FORMA, Specifica quidem & Propria, est Adoptio in Filios per Christum[g]. Communiter vero est tota illa Ratio ordinis tum Decreti, tum Exequuti nis *respectu*.

g. Ephes. 1.5

Decreti respectu ordo[h] Graduum hic est. PRAESCIENTIA, qua Deus prædestinãdos prægnouit. PRAEFINITIO seu προωρισμὸς, qua prægnitorum Prædestinationem Præfiniuit Deus; tum ELIGENDO ab æterno, tum ele-

h Rom. 8.30

electis PRAEPARANDO Gratiam in præsenti, Gloriam in futuro.

Respectu *exequutionis* Graduum hic est ordo. VOCATIO efficax[a], IVSTIFICATIO & GLORIFICATIO, id est Benedictionũ diuinarũ gratiosa Inchoatio, prouectio, & consummatio gloriosa, perfecta Coniunctione Christi. a Rom. 8. 30.

FINIS Remotus, est Dei Gloria: Subalternus vt simus sancti: vltimus vita & glorificatio[b] nostra. b Ephes. 1. 6.

Atque hæc PRAEDESTINATIONIS Ratio est In se & Causis suis simpliciter: de Oppositis & Contrarijs ipsius videndum est.

Horum licet varia ratio sit, communi tamen REPROBATIONIS nomine Synecdochicè significari & indicari solet, in qua significatione distinguitur, tum ab æterna *Prædamnatione*, quæ Καταχρηστικῶς, Reprobatio dicitur; tum ab ea Decreti diuini parte, quæ vel Logicè *Non Electio* vel Theologicè *Præteritio* dicitur, quæ Reprobatio est proprie dicta.

Quia autem opposita Prædestinationi, de qua egimus, totam illam προταγήν, & rationem ordinis ad Finem ad quem Reprobi destinati sunt, significat; de ea, in prima Significatione à nobis agendum est.

Est autẽ REPROBATIO Actus diuini Placiti, quo Deus ab æterno Proposuit in Se de vniuersitate Creaturarum, maiorem partem Prętерire, quoad Gratiæ & Gloriæ suæ salutaris & supranaturalis communionem; & Easdem in Integritate Originis suæ non perstituras, secundum

dum Iuſtitiam ſuam propter peccata ipſarum, Prædamnare ad illuſtrationem gloriæ ſuæ.

CAVSA EFFICIENS huius Reprobationis Primaria Deus eſt, Illius vero Impulſiua Placitum & voluntas ipſius[a].

[a] Ier. 6. 3. Epheſ. 1. 11. Pro. 16. 4.

Actus autem hic qui in Deo Simplex eſt & Vniformis, quoad nos, Ratione Ordinis ad Finem duobus modis conſiderari & diſtingui debet. Eſt enim in Deo, primo, Actus PRAETERITIONIS dictus Scholaſticis *Reprobatio Paſſiua* & *Negatiua*, ante omnes Res & Cauſas in Rebus aut à Rebus extituras. Cuius extra Dei placitum & voluntatem nulla alia ratio aut dari poteſt, aut quæri debet[b]. Deinde eſt Actus Præparationis pœnę, ſeu PRAEDAMNATIONIS ab æterno[c], dictus Scholaſticis *Reprobatio affirmatiua & actiua*, ante omnes quidem Res, ſed non Cauſas in Rebus aut à Rebus extituras præcognitas & Conſideratas. Eſt enim Reſpectiuus Peccati tanquam Antecedentis neceſſarij. Quia vt Deus iuſtè hominem propter peccatum in tempore punit & damnat: ita & iuſtè ex Hypotheſi Peccatorum Deus ab æterno decreuit hominem punire, & Prædamnauit.

[b] Rom. 9. 11. 12. 13. Mat. 1. 23.

[c] 2. Theſ. 2. 9 Rom. 6. 23.

MATERIA Reprobationis ſeu potius Obiectum illius adæquatum ſunt omnes & ſinguli Reprobi Atque huius Materiæ ſeu obiecti, pro duplice illo Actus reſpectu, Conditio dupliciter diſtingui debet. Quoad Priorem enim illum *Præteritionis* diuinæ Actum, materia Reprobationis conſideratur, Homo Communiter, abſque

que vllo qualitatis vllius respectu[a]: quoad Posteriorem verò *Prædamnationis*, seu Ordinationis ad pœnam, Materia Reprobationis est Homo quà Peccator, seu propter peccata puniendus ex necessitate Iustitiæ diuinæ[b]. a Rom.9.11. b Ephes.2.3: 5.

FORMA, *Specifica* quidem est, non designatio in Adoptionem filiorum: *Communiter* vero est tota illa Ratio Ordinis ad Finem, vtriusque Actus, id est, tum præteritionis tum prædamnationis respectu.

PRAETERITIONIS, ratio ordinis hæc est. *Præscientia* seu προγνῶσις non quidem illa affectus & beneuolentiæ singularis: sed Intelligentiæ & Cognitionis in Deo, quæ alias quoque προθεσις seu *Propositum* Dei in Scripturis appellatur, & quà Reprobandos Præcognouit Deus, & qui Essent, & quot essent: *Præfinitio*, qua præcognitorum reprobationem definiuit Deus, eos non eligendo singulari dilectione in Christo: sed sibi ipsis & in natura sua relinquendo, quæ Præfinitio, nunc Præordinationis, nunc Coagmentationis, nunc Odij nomine in Scriptura significari[c] solet. c Rom.9.22.

PRAEDAMNATIONIS & exequutionis illius ordo hic est. *Iusta desertio*, quæ vel *Explorationis* est, Deo gratiam non conferente[d], vel *Pœnæ*, Deo dona omnia salutaria auferente, & tradente in potestatem Sathanæ[e]. *Induratio*[f] & quæ illam solent consequi ad realem hominis damnationem vsque; quæ ab alijs Reprobationis effecta, commodius verò & verius Consequentia seu Gradus Ordinis ad Finē appellātur. d Rom.9.21. e Ioan.13. 2.Thes.2.9. 10, f Rom.9.18.

FI-

FINIS Reprobationis; Remotus est, Illustratio Dei gloriæ [a], Subalternus, Declaratio libertatis Dei [b]. Vltimus vero & proximus, Iustitiæ suæ in punitione Reproborum exequutio [c].

a Rom. 9. 22
b Rom. 9. 21.
c Rom. 9. 28.

DE PRÆDESTINATIONE.

PARS Ἀνασκευαστική.

Solutiones seu distinctiones pro CAVSA EFFICIENTE.

I.

PRAEDESTINATIO duo significat; Finis deliberationem & Mediorum ad Finem Ordinationem. Vtriusque Causa Prima Impulsiua, Dei voluntas est.

II.

Prædestinatio aut sumitur specialiùs pro Prædestinatione sanctorũ, & non tã Re quàm Ratione differt ab Electione: aut generaliùs pro omni ordinis προταγὴ ad certum Finem, in qua significatione tres illius partes constitui possunt. Destinatio Principij, Mediorum & Finis.

III.

Reprobatio sumitur vel Negatiuè pro non Electione, vel Affirmatiuè pro Pœnæ Præparatione.

IIII.

Aliud est agere de Prædestinationis & reprobationis Actu primo, qui est decretum Dei eligendi, & non eligendi seu prætereundi, qui Absolutus est: aliud de secundo qui respectiuus est: Eligendi quidem, ad media, quorum Causa in solo Deo: Non eligendi vero ad Peccatum,

cuius

cuius Causa in homine, ordinatio vero à Deo.

V.

Secundus Reprobationis Actus seu ordinatio ad pœnam distinguitur in simplicem & compositam seu comparatam. Illa est quâ aliquis communiter ordinatur ad pœnam, hæc vero qua in pari conditione vnus magis quam alter. Istius Causa extra Deum supponit meritum hominis, huius verò extra Deum nulla dari ratio potest.

Loca pro Fide præuisâ.

2. ad Thess. 2 13. Resp. A Causa salutis instrumentali non valet conclusio ad Causam salutis efficientem.

Act. 13. 48. A statu, notatione & conditione Personarum quæ electæ sunt, ad Causas siue Impulsiuas siue Meritorias electionis, nulla est Consequentia.

Ro. 8. 29. Præscientia seu prænotio Dei nõ rerũ Consequẽs aut Affectus, sed Antecedẽs est; nec significat loco citato Præuisionem principij sed Amorẽ Dei singularẽ. Alia verò est Præscientia approbationis, alia nudę scientię & cognitionis.

Hebræ. 11. 6. Aliud est agere de prima Electionis Causa: aliud de medijs & Causis subordinatis. Iustificationis enim & reconciliationis nostrę cum Deo, de qua hoc loco fit mentio, Instrumentum proprium & vnicum fides est.

Rom 11. 20. Aliud est agere de perseuerantia Sanctorũ, aliud autẽ de Electione, nec confundi debent, quæ Media sunt, cũ Causis & Principijs.

Loca

Loca pro bonis operibus.

Rom. 8. 29. Conformitas imaginis filij Dei Prædestinationis consequens est, non autem Causa illius efficiens & meritoria, quæque per Ellipsin verbi substantiui Fuerunt, ex sensu Apostoli explicanda sunt, non debent in contrarium sensum accipi.

2. ad Timot. 2. 20. Diuersa sunt, agere de Fidei signaculis, quæ duo ab Apostolo enumerantur, internum vnum, Notitia diuinæ approbationis: alterum externum, Vitatio iniquitatum de qua hoc loco Apostolus: & agere de Causa seu principio salutis & electionis nostræ.

Apocal. 3 11. & 4. Aliud est agere de corona Ministerij, aliud de corona vitæ æternæ: quæque dignitas electis in Scriptura tribuitur non est natiuæ præstantię, sed idoneitatis à Deo gratis præstitæ: aliaque in fidelibus est per Inhærentiam, alia vero per Imputationem, de qua hoc loco.

Distinctiones pro MATERIA.

I.

MATERIA Electionis dicitur æquiuocè, vel ex qua, & est consilium Dei, vel circa quam, & est homo, vel in qua, & est Christus tanquam Mediator.

II.

Homo consideratur vel communiter extra vllam qualitatum considerationem, vel singulariter, qui peccator, Isto modo in primo electionis & Reprobationis actu: hoc vero in secundo.

III.

III.

Electorum & reproborum numerus & numerans & numeratus certus est, quamuis vterque nobis non certo compertus.

Pro FORMA.

I.

FORMA Prædestinationis in duobus consistit, in actione & modo ipsius. Actio est adoptio: modus est in Christo, in quo tanquam vinculo intermedio vnio nostri cum Deo facta est.

II.

Propositum, Præscientia, Prædestinatio in Deo distinguuntur non tempore sed ordine. Propositum significat totum Dei consilium: Præscientia primum illius gradum: Prædestinatio tum illa, tum quæ ex illis necessario dependet.

III.

Decretum cum sua exequutione vt nec confundi, nec diuelli debent, ita coniungi & distingui necesse est, quæ distinctio omnis est à posteriori & effectorum ratione.

DE CREATIONE.

PARS Κατασκευαστικὴ.

ACTIONVM DIVINARVM Immanentium genus in Doctrina de PRAEDESTINATIONE explicatum est; Ad Actiones Diuinas Externas ex ordine transitur.

HARVM pro duplici Obiecto duplex ratio & notitia distingui debet. Quæ enim Actiones diuinæ

diuinæ in Creaturas transeunt, vel *Naturâ* hanc *communem*, spectant; Rerum Naturalium Principium commune: vel *Gratiam singularem* Rerum Supranaturalium, ad quarum communionem homo euehendus est, Principiū singulare.

Quæ NATVRAM spectant, vel Primum illius Ortum, quâ est in *fieri*; vel Conseruationem illius quâ est *in Facto*, distinctè considerant. Illæ CREATIONIS, Hæc PROVIDENTIAE nomine indicari solent.

Opus CREATIONIS duobus modis à nobis cognoscitur; Vno, *communi*, secundum rationem communem omnium quæ creata sunt, prout Genera & Species singulæ conditiones suas habent in Natura, à primo illo vniuersali Principio, ipso Creationis tēpore effectas: Altero, particulari, prout sua cuique Indiuiduo singularis ratio est, & eius χαρακτηριστικὴ: Prior modus ad Theologiam propriè, secundus ad Physicam pertinet.

Est ergo Theologicè. CREATIO, Prima maria Naturæ & Rerum in Natura productio, à Deo in temporis principio facta, & sex dierū spatio perfecta ad Gloriam suam & Electorum salutem.

CAVSA EFFICIENS Creationis Deus est. Non enim res creatæ, ab alio mente conceptæ, ab alio procreatæ sunt, vt putarunt Valentiniani: non ab alia natura, quam modo ὑσίεαν, modo δημιυργὸν vocauit Cerinthus: non ab Angelis, vt putarunt Simoniani: non à Dæmonibus suis, ut Philosophi: non deniq; à Fortuna,

tuna, vt Epicurus: sed à Deo productæ & dispositæ sunt[a]: quod præter Scripturã, vel Trium Personarum operationes distinctę, vel Creationis Natura & Modus, vel denique Principij euincit ratio.

a Psal.33.9. Esai.40.28.

Personæ in Creatione operantes tanquam Causæ, προηγουμενικῶς Pater est[b], δημιουργικῶς Filius[c]: τελειωτικῶς Spiritus Sanctus[d].

b Act.17.24 c Col.1.16. Ioan.1.3. d Gen.1.2. Psal.33.6. e Iob.9.8. Esai.40.22.

Creationis *modus* duplex est, vnus per productionem rerum, alter per dispositionem sapientissimam[e]. Vterque à Deo est, siue Immediatè, siue Mediatè.

Principij ratio est, vt amet singularitatem: & Primum vniuersale nullum esse possit, nisi sit vnum, nec vnum nisi sit Deus.

MATERIA Creationis duobus modis distingui debet, Prout Creatio alia Primaria & Immediata, alia Secundaria & Mediata est.

Primariæ Creationis Materia nulla fuit, nec Deo coæterna, nec à Deo existens, aut tanquam Causa Materialis, operi huius Creationis substrata. Nec enim Naturæ per Naturam, sed per se, principium Deus dedit Immediatè. Cumque sit infinitæ potentiæ, omnem materiam necessariò excludit, vnde ex nihilo tanquam termino, potentia sua naturã Deus primò eduxit[f].

f Psal.33.9. Rom.4.17. Heb.11.3.

Secundariæ & Mediatæ creationis, Materia duplex est, Prima & à Prima orta.

Primæ Materiæ duplex est notio. Prima in puritate naturæ suæ absolutè & per se, altera cum respectu ad alia, vt principium & subiecti primum ex quo res fiunt & constant; In vtraque

que notione describitur à Moyse, Primò quoad Substantiam, quod sit partim Terrea partim Aquea. Hue enim Terræ & Aquarum denominationes tendunt. Secundò quoad Quantitatem, quod sit Ingens Moles, nec tantum plasma rationis; sed reuera ens, omnibus rebus substratum. Tertiò quod ad Qualitatem, quod sit tenebricosa & obscura, cui Spiritus Domini incubat[a].

a Gen.1.1.2. &c.

Materia *secundariæ* Creationis, *à prima orta*, Naturæ à Philosophis, vt Cœli & Terræ nominibus in Scriptura indicari solet[b].

b Psal.124.8. Psal.134.3. Esai.37.16.

Nam rerum è primâ illa Materia eductarum, duo sunt genera, planè inter se differentia, quamuis Analogicè ad communem rationem generis vnius referantur. Nam aliæ sunt *Compositæ*, *Elementares* & *Materiales* in hoc mundo, quæ Terræ nomine indicantur; aliæ *Simplices* & *Immateriatæ* supra hunc mũdum in locis cœlestibus à Deo dispositæ, quæ indicantur Cœli nomine.

Ex earum modo conficitur Natura duplex, Inferior & Superior, *Illa* considerata in Vniuersitate hâc rerum Naturalium, in quibus & homo est; *hæc* in vniuersitate rerum supra Naturam huius Mundi positarum, in quibus & Angeli. Vtriusque veritas & modus ex forma creationis commodius concludi potest.

FORMA Creationis; *Primariæ* quidem Illius est, tum Abdita illa diuinæ Potentiæ vis Primæ illi Materiæ indita, secundum essentiam & conditiones ipsius; tum Externa, Immediata

&

& Instantanea Materiæ productio, Illiusque informis ac indigesta constitutio [a]. *Secundaria* vero Creationis FORMA Interna, est, communis illa & abdita vniuersi natura, quam rebus omnibus Modo & Ratione communi impressit Deus. Externa vero de qua propriè hic sermo est, Potens illa Rerum omnium in Principio temporis per sex dierum interstitia ex prima Materia productio, ac earundum cum In se, tum Inter se Dispositio ornatissima [b].

a Gen.2.4.2 &c.

Productionis autem & dispositionis huius veritas duobus modis dignoscitur; Prout Rerum productarum ac dispositarum Natura duplex est. Inferior vna seu Elemẽtaris & Materiata; Altera Superior, Simplex & Immateriata [c].

b Gen.1.per totum caput

c Heb.1.10

Inferioris huius Naturæ partes duæ sunt; *Elementaris* & *Ætherea*.

Elementaris est Corporum sua natura mutationi obnoxiorum, infra Ætheream regionem; siue ea Simplicia sint, sive Composita.

Corpora Simplicia sunt Elementa, Rerum compositarũ Principia. Quæ ordine pulcherrimo & conuenientissimo primùm creata sunt [d].

d Gen.1.ad vers.11.

Composita vel ex duobus, aut tribus tantùm, vel ex quatuor Elementis composita sunt. Illa *imperfectè*, hæc *perfectè* mista dicuntur.

Horum quædam Inanima, quædam Animata sunt. Quæ Animata, vel vegetantia tantum sunt, vt Plantæ [e], vel vegetantia & sentientia, vt bruta [f], vel denique vegetantia, sentientia & rationalia, vt homo [g], de quo in Tertio huius Institutionis Libro.

e Gen.1.11. 12.12.

f Gen.1 20. 21.& 24.

g.Gen1.28.

Patris

Partis Naturæ huius *Inferioris Ætheriæ*, Orbes duplices sunt, cum stellis & sine stellis.

Cum stellis, tum mobile firmamentum, densioribus orbium partibus vndequaq; lucidum: tum cœlum Planetare septem suo ambitu orbes continens [a].

a Gen. 2.14. 25.16 &c.

Sine stellis est, tum *Superior* Orbis seu Primum Mobile omnes inferiores partes circumuoluens in gyrũ: tum *Inferior*, Cœlum Aërium.

Superioris naturæ seu supercœlestis duæ sunt partes, Vna *continens*, Empyræum primum & Immobile, in Scripturis dictum Cœlum cœlorum [b]. Altera *contenta* præter beatas Animas (de quibus sub finem huius Institutionis) ANGELI; Quorum in Scripturis descriptio explicatur, tum communi, tum singulari modo.

b Act 1.11. Ephes. 4.10. 2. Par. 6.18.

Communi quoad essentiam, & essentiæ proprietates; Sunt enim *quoad essentiam* verè οὐσιώδη seu substantiæ Spirituales [c], incorporeæ, & inuisibiles; *quoad essentiæ proprietates*; Internas quidem, Intelligentia, & voluntate præditæ, adeoque Secundum perfectionem ipsarum naturalem, oppositam ad res corporatas Substantiæ Simplices: externas autem; Naturæ proprietate finitæ, loco definitæ, Dei Creatoris sui adminiſtræ [d].

c Psal. 104.4.

d Heb. 1.v. vlt.

Singulari modo dignoscuntur vel qua Boni, vel qua Mali.

1. Reg. 22.20

Boni quidem, qui in Natiua sua dignitate, in qua creati fuerant, singulari Creatoris gratia perstiterunt & confirmati sunt immutabiliter [e]: quorum opus & officium est inseruire Deo, &

e Mat. 18.10 & 22.30.

Homi-

Hominibus secundum Deum, siue *Immediatè*, naturæ suæ respectu [a], siue *Mediatè* per Oeconomiam assumptionis Corporum tum Humanorum [b], tum Igneorum [c].

Mali autem, qui ex sua illa Natiua dignitate liberè & malitiosè exciderunt [d], quorum opus est; *Proprium* quidem & voluntarium, Malum tum à se, in se & per se operari, tum alios ad operationem illius tentare & inducere [e]: *Improprium* autem & Inuoluntarium, Deo seruire, & ad voluntatem ipsius, potentiam omnem suam, siue illusoriam & mendacem, siue actiuam & efficacem restringere & referre, ita vt nec aliter, nec alium in finem ea vti possint, quã Deus [f] sapientissime decreuerit [f].

FINIS Creationis duplex est; *vltimus* & summus est operantis, Dei gloria; in Bonitate, Sapientia, & Potentia ipsius. Nam & Bonitatem, facultas rebus insita, & Sapientiam ordo, & Potentiam, modus vtriusque commendat [g]. *Proximus* est operis, vt omnia suis vsibus inseruiant ad Electorum salutem [h].

a Mat. 6. 10. Psal. 103. 20. 21.
b Gen. 18. 2. 4. Heb. 1 3 2. Math. 28. 3.
c Esai. 6. 2. Eze. 1. 1. &c. 2. Reg.
d Ioh 8 44. Iud. vers 6.
e Iob 1. 11. 1. Pet. 6. 8.
f 1 Re. 22. 20 Iob. 1. 6. &. 2 1.
g Gen. 1. 31. Psal. 104. 24. Prou 16. 4.
h Gen. 1. 28. Psal 8. 7. Heb. 2. 7. 8.

DE CREATIONE

PARS Ἀναστικὴ.

Distinctiones pro CAVSA EFFICIENTE.

I.

CREATIO dicitur aut Propriè de Opere Primariæ rerum productionis, aut Metaphoricè, de ijs quæ non minoris sunt virtutis & potentiæ: vtroque modo soli Deo tribuitur.

II.

II.

Creantur quæ de nullo Subſtantiali vel Materiali Principio fiunt. Generantur autem quæ ex præexiſtente Materia fiunt. Creatio Dei eſt, per ſe, Generatio Naturæ ſecundum Deum.

III.

Nulla generabilia & Corruptibilia quæ producuntur à Deo mediantibus Cauſis Secundis propriè dicuntur creari; quia Creari eſt Immediatè à Deo produci.

IIII.

Creatio eſt duplex, Actiua & Paſſiua; Illa dicit diuinam Eſſentiam & Creaturam non potentem exiſtere, niſi poſita diuina Eſſentia. Hæc dicit Creaturam realiter à Deo productam, & connotat Eſſentiam creatricem.

V.

Creare & facere differunt, quod illud anguſtius ſumptum, ſignificet de nihilo aliquid facere; Hoc vero communius, non illud tantum, verum etiam aliquid producere ex materia præiacente & præexiſtente.

VI.

Res ipſæ earumque Natura & Subſtantia, à Malo accedente, Rerumque ac Subſtantiarum Accidentibus, diſtingui debent.

Pro MATERIA,

I.

ALIA ratio eſt primariæ, alia ſecundariæ Creationis, vnde commune illud Philoſophorum

phorum classicum. *Ex nihilo nihil fit*, Rerum Corporearum constitutioni aptari potest. Creationi autem opponi nequit.

II.

NIHIL dicitur vel Priuatiuè vel Negatiuè, Negatiuè de Primaria Creatione; Priuatiuè de Secundaria.

Pro FORMA.

I.

PRINCIPII significatio triplex est, vel enim ad tempus, vel ad res & Causas, vel denique ad ordinem pertinet. In prima autem significatione sumitur cum agitur de principio Creationis.

II.

Quæ à Moyse de rerum creatarum Forma & ordine perscripta sunt, non allegoricè, sed Physicè sunt accipienda.

DE PROVIDENTIA

PARS Κατασκευαστική.

ATQVE hic rerum Creatarum Ortus est, Primarius & Secundarius secundum Naturam ipsarum: sequitur earundem potens Conseruatio, & in Finem sapientissima Ordinatio, quam PROVIDENTIAM ex Scripturæ & doctorum Ecclesiasticorum vsu vocamus.

Huius PROVIDENTIAE cum duplex actus dignosci & distingui soleat, vnus Decreti, secundum præscientiam & præfinitionem rerum omnium æternam in Deo: alter Executionis,

tionis, secundum externam earundem administrationem in tempore; Prioris autem consideratio ad Prædestinationem (quæ operationum diuinarum immanentium genus est) pertineat propriè; Nos Posterioris huius respectu, propriè dictam Prouidentiam consideramus & explicamus.

Est autem hæc PROVIDENTIA, Actio Dei externa & temporalis, qua omnia & Singula quæ sunt, conseruat; & quæ fiunt, omnia & Singula disponit ad finem quem determinauit, secundum libertatem voluntatis suæ; idque vt in omnibus ac Singulis glorificetur.

CAVSA EFFICIENS Prouidentiæ seu gubernationis huius eadem est quæ Creationis; cum vtriusque vnum idemque sit principium, à quo omnia procedunt & conseruantur. Deus Pater, Filius, Spiritus Sanctus [a].

PATER, seu patris Amor & Bonitas, Causa προκαταρκτικὴ.

FILIVS qua Sapientia & Λογὸς Causa Δημιουργικὴ.

SPIRITVS SANCTVS qua vis & potentia Patris & Filij, Causa τελειοτικὴ.

Natura Dei hoc docet, cuius præsentiam, potentiam & operationem in vtroque opere commendat Scriptura [b]. Testatur *Natura communis*, quæ tanquam commune Dei instrumentum, acta à Principio illo vniuersali agit, & mota mouet se, & alia secundum se; Contestatur & sentit *natura nostra*, quia vt in ipso sumus: ita & in ipso viuimus & mouemur [c].

a Psal. 32. 13 15. Psal. 139. 7. & 8. Iob 12. 24. 22. 13. 14.

b Psal. 94 8. Mat 10. 29. Ier 10. 23. Prou. 16. 9. Esai 45. 7.

c Act. 17. 28.

At-

Atque huius CAVSAE EFFICIENTIS Operationes, ſecundum Gradus diſtinguuntur; Diſtinguuntur autem ordine & modo triplici, Primus eſt *Conſeruationis*: Secundus *Gubernationis*: Tertius *Ordinationis ad Finem*: de quibus fuſius in Cauſa Prouidentiæ Formali.

MATERIA circa quam Prouidentia verſatur, pro duplici rerum quę illi ſubiacent ratione, duobus modis diſtingui poteſt. Vno quidem, reſpectu eorum quæ ſunt: Altero vero, reſpectu eorum quæ fiunt. Vtroque enim modo & reſpectu, omnia & Singula diuina Prouidentia reguntur.

QVAE SVNT, tribus modis diſtingui debent. Primo ſecundum *Naturam*. Secundo ſecundum *Accidentia*. Tertio ſecundum *Vſum*.

Naturæ Rerum, ſiue Superioris ſiue Inferioris illius, de qua in loco de Creatione actum eſt, duplex eſt notio. Vna quidem *Communis* & ſecundum Speciem naturalem; Altera vero *ſingularis* & ſecundum Indiuidua.

Accidentia quæcunque ſunt, vel ſunt Naturæ communis in *Ortu* & Integritate ſua, vel ſingularis in *defectu* & conditione agnata ipſius.

Rerum ſecundum *vſum* ſuum duplex eſt diſtinctio; vel enim Fines ſunt, vel Media ad finem. Ac *Fines* quidem alij vltimi ſunt, alij intermedij ad illum. *Media* autem duobus modis dignoſcuntur: Primò, *Modo agendi:* Alia enim ſunt Ordinaria, alia Extraordinaria, vtraque ordinata ad fines ſuos. Deinde

qualitate & conditione Essentiali ipsorum: Alia enim sunt NECESSARIA, alia CONTINGENTIA.

Eorum quæ NECESSARIA sunt, duo sunt genera. Nam alia sunt per se Absolutè Necessaria, Necessitate, vt vocant, *consequentis*, Alia per Causam ex Hypothesi; Necessitate, *consequentiæ*.

ABSOLVTE Necessaria, cum de rebus creatis agitur, duobus gradibus distinguimus. Primus est in *Naturæ Principijs* primis atque communibus, primò, per se & per omnia necessarijs, vt cum dicimus bis duo esse quatuor, quæ immutabiliter & infallibili necessitate vera sunt; Alter Necessitatis gradus est, à Natura ex Principio Intrinseco ipsius, siue *materiali*, vt cum dicimus omne compositum ex contrarijs necessario interiturum; siue *Formali*, vt cum dicimus, Ignem necessario vrere.

Necessaria ex *hypothesi* siue Necessitate conditionis & Consequentiæ; aut ab interno principio, aut ab externo, aut ab vtroque simul necessitatem induunt.

CONTINGENTIA, ea sunt quæ possunt esse aut non esse, qualia proprie accidunt indiuiduis & singularibus. Potentia enim est Materia, quæ τῶν ἐνδεχομένων δεκτικὴ est, Materia autem Singularium & Indiuiduorum, quæ determinantur materia sua.

Atque hæc quidem ratio est EORVM QVAE SVNT.

Ea

Ea vero QVAE FIVNT seu Actiones, duobus modis distinguuntur. Principijs suis, & Qualitatibus.

Principijs. Aliæ enim sunt à principio communi, & dicuntur *naturales*; quas aut Natura *per se* efficit; nec requiritur ad eas voluntatis actus, vt viuere, vegetare, &c. aut efficit cum *voluntatis naturalis* actu, vt edere, bibere, &c. Aliæ à principio sunt singulari, & dicuntur *voluntariæ*, quas voluntas nostra Intellectiua efficit, non instinctu Naturæ, sed præsidio Rationis acta; siue *consilio* & deliberatione, ex qua *voluntas Electiua*: siue *inconsulto* impetu, ex quo *voluntas per causam*.

Qualitatibus. Aliæ enim sunt Bonæ, aliæ Malæ: Quæ Actionum Bonitas & Malitia dignoscitur, tùm ex *communi conditione* ipsarum, secundum Principia, in actionibus Naturalibus: tum *singulari modo* secundum speciem & circumstantias, in Actionibus voluntarijs. Atque hæc omnia & singula, tam quæ Sunt, quam quæ Fiunt subiacent diuinæ Prouidentiæ, modis, & *communibus* & *singularibus*, prout in sequentis Causæ explicatione demonstrabitur.

FORMA Prouidentiæ diuinæ est Actus ille perpetuus omnia & Singula ad fines suos dirigendi; qui Actus duobus modis considerari ac dignosci debet: *communi* & *singulari*, illo quidem, pro varijs Actus illius, diuinæ Prouidentiæ, Gradibus: hoc verò pro singulari Subiectorum in quæ agit, Natura & Conditione.

ACTVS Diuinæ Prouidentiæ tribus Gradibus dignoſcitur Communiter; quorum explicatio ad doctrinæ huius Intelligentiam perneceſſaria eſt.

Primus Gradus eſt CONSERVATIONIS; qua res omnes & ſingulæ, in eodem Naturæ & Proprietatum Naturalium ſtatu, in quo creatæ ſunt, ſuſtentantur Ordinariè.

Hæc Conſeruatio, pro Rerum quæ aut *ſunt* aut *fiunt* diſtinctione, eſt tum *Exiſtentiæ* tum *Virtutis*.

Exiſtentiæ conſeruatio, eſt continuatio ſubſtantiæ rerum per creationem exiſtentium, ſiue totius Speciei, ſiue Indiuiduorum [a].

a Pſal.19.12. & 104.19.20 &c.

Virtutis conſeruatio eſt, qua Deus proprias cuiuſque creaturæ vires, quæ ad eius operationes & perfectiones pertinent, ſuſtentat & mouet [b] principio ſingulari, quod in rebus Inuoluntarijs, Natura eſt ſingularis; in voluntarijs, voluntas.

b Iob 14.4. Heb.9.27. Pſal.134.2.3. &c.

Vtraque à Deo eſt, tanquam à principio Vniuerſali, A quo, Principia Rerum & Actionum, tum Communia, tum Singularia dependent; In qua dependentiâ, duo notanda ſunt. Vnum; Principium illud primum Conſeruationis Rerum, ſic agere in Principijs Inferioribus, vt nihil de ijs detrahat; ſed integras relinquat actiones ipſarum Ordinariè. Sic enim adminiſtrat omnia quæ creauit, Deus, vt etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat. Alterum eſt; Principium illud primum, agere per Inferiora ſecundum Inferiorum modum:

dum: Quotieſcunque enim multæ Cauſæ Coordinatæ incidunt; Effectus vltimus non ſequitur Cauſam primam, Neceſſitate, vel Contingentiâ, ſed Cauſam proximam. Hinc FATum illud Chriſtianum naturale; quod eſt ſeries & Ordo Cauſarum Naturalium à Prima Cauſa dependentium, quæ niſi ab eadem impediantur, vi & natura ſua, eundem producunt effectum.

Secundus Prouidentiæ Gradus, eſt GVBERNATIONIS, qua Deus, penes quem eſt ſumma authoritas, de rebus omnibus poſitis in poteſtate ipſius diſponit, eaſdem regens pro libertate voluntatis ſuæ.

GVBERNATIONIS huius Ratio triplex eſt. Vna in *præcipiendo* poſita, Altera in *agendo*, Tertia in non agendo quod vocant *permittere*. Ac prima quidem, doctrinæ eſt & Iuris, eoque huius loci non propria, duæ reliquæ actionem diuinę Prouidentiæ reſpiciunt proprie. Eſt ergo actio Dei Gubernantis duplex, vna Perficiens, altera Permittens.

Perficiens eſt quæ προνοια κατ' ἐνέργειαν, à græcis vocatur, qua Deus perficit efficaciter in omnibus & ſingulis, quod operis ſui eſt; Perficit autem quicquid bonum eſt in Natura Communi & Singulari, vt Principium vniuerſale naturæ.

Permittens eſt quæ προνοια συγχωρησιν græcis dicitur, qua Deus alienas actiones non Inhibet, ſed Agentis voluntati permittit earum modum. Huius Permiſſionis in Scripturis

duo ſunt genera, vnum *ſimplicis & abſolutæ*, cum Deus permittit ſimpliciter, id quod ſimpliciter & immediatè poſſet inhibere, vt cum Adamum permiſit labi: Alterum ex *hypotheſi*, cum Deus ratione humana temperat Permiſſiones ſuas, ſecundum hominum conditionem, quales permiſſiones in Veteri Teſtamento fuerunt plurimæ. Vtraque in Deo eſt, à voluntate ipſius, & mouetur ad finem quem voluntas Dei præfiniuit.

Tertius Prouidentiæ diuinæ gradus eſt ORDINATIONIS, qua Deus Sapientia admirabili omnia ad ſuum Ordinem, quamuis inordinatiſſima, & ad ſuum finem perducit. In hac ORDINATIONE tria concurrunt, Conſtitutio Finis; Mediorum ad finem diſpoſitio; Diſpoſitorum directio.

Conſtitutio finis, nam Deus terminat vt ſubiecta omnia ſuis formis: ita formarum motus ſuis finibus, ſiue proprijs & proximis, qui rerum ſunt ſecundum Naturam ipſarum, ſiue vltimo illo qui ſupra Naturam eſt, Dei gloria: ad quam omnia tendunt ex ordinatione diuina.

Hic rerum finis ſummus, licet ſecundum perfectionem ſignificatam vnicus ſit, modo tamen ſignificandi, qui modus ab obiectis eſt, duplex eſt. *Iuſtitia potentiſſima*, & *Gratia*, quæ in Deo rationem habent ſummi boni.

Ad duplicem hunc finem duplex eſt *Mediorum diſpoſitio*, prout Dei diſponentis duplex

à Scholasticis intentum non incommode statuitur. Vnum per se, *primò intentum*, quod tam ipsum quam omnia ad ipsum intenduntur. Alterum per se intentum sed *non primò*, quod ipsum quidem intenditur, sed non omnia ad ipsum. Primo modo intentum dicitur Dei gratia: secundo Dei Iustitia.

Directio mediorum dispositorum, est efficax illorum in finem deductio, modis sapientiæ diuinæ cognitis, siue Reuelatis siue occultis. Est autem hæc directio Mediorum, alia Per se, alia per Accidens.

Atque hic modus est Prouidentiæ *Communis*; quo substrato ad *modos singulares* illius, pro singulari subiectorum natura, facilior est via ac Methodus.

Primo enim *Natura rerum*, siue Communis, siue Singularis, subiacet diuinæ Prouidentiæ Modis omnibus & Constitutionis, & Gubernationis, & Ordinationis[a]. Tantum enim se extendit Constitutio, Gubernatio & Ordinatio rerum Naturalium, quantum se extendit causalitas primi Agentis. Extendit autem se vsque ad omnia Entia non solum quoad Principia Specierum; sed etiam quoad Indiuidua: nec tantum quoad Principia Incorruptibilium, sed etiam Corruptibilium.

a Math. 10. 29. 30. Luc. 12. 6. 7. Pro. 16. vers. vlt.

Deinde *Accidentia* Naturæ quæcumque sunt, quæ quidem sunt Naturæ communis in *integritate* sua, subiacent diuinæ prouidentiæ modis enumeratis omnibus: quæ autem sunt Naturæ singularis in *defectu*, subiacent

diuinæ Prouidentiæ, modo Gubernationis & Ordinationis [a].

Tertiò, Quicunque Rerum *Fines* ſunt, vel Intermedij, vel Summi, à Deo conſtituuntur, gubernantur, ordinantur.

Quartò, quæ *Media* ſunt ſiue Ordinaria, ſiue Extraordinaria, ijs ipſis prima Cauſa vtitur pro natura ipſorum, Conſtituendo, Gubernando, Ordinando.

Quintò, De NECESSARIIS & CONTINGENTIBVS vt videamus & quæ difficiliora ſunt, paucis explicemus; Tria notanda ſunt.

Primò, Rerum, prout ſunt, Naturam & Naturales proprietates eſſe à Deo, eoque ſecundum modum, quem Deus rebus indidit, ſubiici Prouidentiæ diuinę [b]. Hoc autem habet Rerũ Modus, & Natura, vt quædam ſint Neceſſariæ, quædam Contingentes; Illæ quidem, quarum ordo inter Cauſam & Effectum eſt immutabilis, ſiue abſolutè per ſe, & natura ſua; ſiue ex hypotheſi & relatione ad Cauſas poſitas, quæ tamen, vel non exiſtere, vel mutari potuerant: Hæ, quarum ordo eſt mutabilis in vtramque partem ſua natura indefinitus, cuiuſmodi ſunt Res naturæ, ſeu Singularia, quæ implexas inter ſe, & in ſe, conditiones habent Mutabilitatis & Contingentiæ.

Secundò Effectum diuinæ Prouidentiæ eſſe aliquid euenire quocunque modo, vel Contingenter vel neceſſariò, atque ideo euenit neceſſariò,

a Gen. 37. 28 Iob 1. 21. Eſai. 10. 5. 6. &c. Act. 2. 23. Rom. 8. 28.

b Iob 10. 10. 11. Exod. 15. 26. Pſal. 105. 17. &c.

ceſſariò, quod diuina Prouidẽtia diſpoſuerit neceſſariò euenire, & euenit contingenter quod ita ſe habet diuinæ Prouidentiæ ratio. Hinc Principium vniuerſale Deus, ſiue *mediatè*, ſiue *immediatè* facit vt res vtroque modo ſe habeant, & vt ex Cauſis Neceſſarijs, vel Contingentibus, producantur effecta euentaque Neceſſaria vel Contingentia.

Tertiò, Quarum rerum eſt Contingentia, earum etiam eſſe Neceſſitatem ex hypotheſi, eoque nihil tam eſſe Contingens; quod duobus modis non ſit neceſſarium ex hypotheſi; *vno* quidem *exiſtentia ſuâ*; Quod enim erat contingẽs fore, id ex quo fuit, eſſe aut fuiſſe neceſſe eſt: *altero decreto & præſciẽitia Dei definita*, cuius reſpectu omnia eueniunt infallibiliter; Propriè autem loquendo, aliud eſt *contingenter*, aliud *neceſſariò*, aliud *Infallibiliter* aliquid euenire. Primum & ſecundum, Inferunt ordinem effectus ad Cauſam, Tertium vero vtroque communius eſt, quia & contingentia & neceſſaria eueniunt infallibiliter: illa tamen contingenter, hæc neceſſariò.

His poſitis liquet tum Neceſſaria tum Contingentia omnia ſubjacere diuinæ prouidentiæ modis omnibus. *Conſeruationis*, nam vtráque exiſtentiam & virtutem habent à Deo. *Gubernationis*, nam de vtriſque Deus diſponit pro libertate voluntatis ſuæ, ſiue efficientis, ſiue permittentis. *Ordinationis*, nam & finem ipſis præſcripſit Deus ſecundum naturam ipſorum, illaque tanquam media diſponit ſapienter, & po-

tenter deducit ad illum.

Sextò, Ad *Actiones Naturales & voluntarias* quod attinet, notandum est, Actionum Tria considerari & Analogicè distingui oportere Principia. Vnum *vniuersale*, DEVS est. Alterum *commune*, NATVRA est. Tertium particulare, & est vel INCLINATIO NATVRALIS, vel INSTINCTVS, vel VOLVNTAS Electiua.

Horum Principiorum, singulares sunt Proprietates. Vniuersale *Finitum* est, Commune *definiens*, particulare *definitum* in subiectis suis. Primum, est *à se*, & *ad se*: secundum, Relationem habet *ad Deum*. Tertium *ad vtrumque*.

Ex quo fit, vt quæ Actiones sunt à principio particulari Mediatè, per principium commune sint à Deo; quæ vero à principio sunt Communi, à Deo sint Immediatè

Hinc liquet, Actiones omnes, siue Naturales, siue voluntarias subiacere diuinæ Prouidentiæ: Primò, *modo conseruationis*, Conseruat enim Deus Naturas Rerum, & quam homini dedit voluntatis libertatem: Secundò, *modo Gubernationis*, Deus enim qua principium vniuersale, reliqua principia omnia mouet efficaciter, vt agant. Tertiò, *modo Ordinationis*, quia omnes Actiones deducit & dirigit ad Finem quem præstituit ipsis, Naturalem aut Voluntarium[a].

a Psal. 139. 2. 3, &c.

Vltimum restat de *Actionibus malis & bonis*: vt autem modus & efficacia Prouidentiæ diuinæ in malis actionibus (de bonis enim nulla est diffi-

difficultas) ſecundum gradus ſuos melius cognoſcatur, duo præmittenda ſunt.

Vnum, ſecundum Principiorum differentiam, de quibus ſupra dictum eſt, vnâ, eaademq; actionem, Bonam ſimul eſſe & Malam: bonam quidem ſecundum genus, quâ à Deo & Natura communi: nam & Deus, & Natura, per ſe, nunquam non, bonas actiones edunt: Malam vero, ſecundum rationem particularem in Homine quâ corruptus eſt. Omnis enim actus vitioſus, ſuſcipit neceſſitatem vitij à Cauſa proximâ, quæ eſt voluntas peccantis: vnde illud Scholaſticorum: *Principalitatem Cauſalitatis omnis in peccato, conſiſtere, penes voluntatem, quæ imperat actum.*

Alterum eſt, in omni Actione, Tria dignoſci & diſtingui oportere. *Naturam, Subiectum*, & vtriuſque *accidentariam qualitatem.*

Natura, eſt à Creatore, qui dedit illam, & Naturalium proprietatum ac Actionum Principia mouet.

Subiectum actionis, eſt Motus qui ſecundum naturam eſt, cuius reſpectu omne peccatum dicitur in bono eſſe ſubiectiuè.

Qualitas, eſt Naturæ & Subiecti Accidens, bonum quidem ſecundum Gratiam: malum vero ſecundum agnatam naturæ & ſubiecto corruptionem, quæ hominem, & quæ hominis ſunt, Inficit contactu σωματικῷ & ἐνεργητικῷ: vnde voluntas, quæ Actionum Principium eſt internum, corruptionis iſtius vim infundit Actionibus immediatè.

His

His positis, notandum est, Prouidentiam, etiam in malis actionibus, operari modis & gradibus omnibus[a].

a Esai. 45.7 Lament. 3. 37. Amos. 3.6

Modo & gradu Conseruationis; nam primò, tùm Principium Naturæ indidit homini, quod per se, naturali necessitate determinatum est; tum Principium actionum voluntatem, vi sua determinantem motus suos; & liberè ad actiones quasuis indeterminatas inclinantem: Deinde voluntatem sustentat, vt Rem Naturæ, principio communi; & Actiones Naturales & voluntarias mouet, Principio singulari.

Gubernationis modo & gradu. Nam *Primò* Deus opus quod malum est, quatenus boni rationem habet (habet autem Præcipuè tum quia in bono est subiectiuè, tum quia ad bonum est reductiuè) ἐνεργητικῶς efficit. *Secundò* peccatum Deus determinat, eique modum præscribit pro libertate voluntatis suæ[b]. *Tertiò* permittit mala, non quod probet; sed quod, non malum sit, mala permittere. Cum enim is qui permittit, inhibendi potestatem habeat, absque vlla obligatione, vt & is cui permittitur, agendi, absque vlla coactione; Actus vtrobique est voluntarius; in Priore absque culpa: in Posteriore absque excusatione.

b Prou. 16.9

Modo & Gradu Ordinationis. Nam Euenta peccatorum Deus ordinat, ad bonum[c], siue *Morale*, id est, *pœnæ* aut *castigationis*: siue *supernaturale*, id est, gloriæ suæ in Iustitia & Misericordia[d]. Vnde liquet, Rem *esse, agere* & *ordinari* bonum esse: *malum esse, malè*

c Rom. 8.28

d Rom. 5.20. Rom. 11.33.

malè agere, & ad *malum ferri* malum esse; Illud Deus efficit, hoc verò Deus effici sinit à Creatura. Atque hæc quidem Prouidentiæ Causa FORMALIS est.

FINIS Prouidentiæ qui ex præcedentibus facilè colligi potest, est Gloria Dei, coniuncta cum electorum salute [a].

a Matth. 6. 26.

DE PROVIDENTIA
PARS Ἀνασκευαστικὴ.

Distinctiones pro CAVSA EFFICIENTE.

I.

FATVM, vel est *verum*, vel *ementitum*: illud, expers violentiæ, hoc violentum. *Verum*, vel est *diuinum*, vel *naturale*. *Diuinum* nihil aliud est quam rerum gubernatio seu Prouidentia. *Naturale* nihil aliud quàm series & ordo rerum naturalium. *Ementitum* vel est *Chaldaicum* vel est *Stoicum*. *Illud*, ligat & nectit superstitiosè actiones & euentus ad vim & positum stellarum. Hoc est ab æterno fluens, series, & connexio Causarum talis, vt ab ea pendeant ipse Deus & Dei Prouidentia: Vtriusque consequens est necessitas coactionis.

II.

Ad Prouidentiam duo pertinent. Ratio ordinis, & Illius exequutio. Primum æternum est, alterum temporale.

III.

III.

Deus inferiora per ſuperiora gubernat, non propter defectum virtutis ſuæ, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis, ſecundum libertatem ſuæ voluntatis.

IIII.

Cauſæ ſequentis natura, non ſolum ſuperiori Cauſæ eſt ſimilis, quatenus inde habet aliquid: ſed etiam diſſimilis quatenus procedit extra.

Pro CAVSA MATERIALI.

I.

OMNIA ſubiecta Cauſalitati Primi Agentis, ſunt etiam ſubiecta Ordinationi eiuſdem in finem: vnde omnia quatenus habent Eſſe, ſubijciuntur Prouidentiæ.

II.

Aliud eſt agere de Cauſa vniuerſali: aliud de Cauſis Particularibus. Particularium ſunt caſus. Vniuerſalem autem Cauſam nihil poteſt effugere.

III.

Corruptiones & defectus in rebus naturalibus, ſunt quidem contra naturam particularem: ſunt tamen de intentione naturæ vniuerſalis, quatenus cedunt in bonum totius vniuerſi.

IIII.

Alia eſt ratio agentis, alia inſtrumenti, Inſtrumenti & Creaturæ eſt ὀργάνου: Agentis autem

&

& Creatoris est etiam in maximè inordinatis, τάξις, & ordo.

V.

Quædam fiunt ex Prouidentia efficienter & causaliter: quædam secundum Prouidentiam permissiuè & determinatiuè.

Pro CAVSA FORMALI.

I.

ANIMA semper agit liberè, quia licet à Causis pendeat, ipsa tamen suarum actionum Causa est proxima: Naturales autem effectus cum Causis proximis maiorem similitudinem habent, quam cum remotis.

II

Necessitas alia est *à prori* seu constituens, alia *à posteriori* seu consequens, alia *interna*, alia *externa*, alia *coactionis*, alia *immutabilitatis*, alia *Absoluta*, alia ex *hypothesi*, quarum omnium distinctio in loco hoc de Prouidentia perneccessaria est.

III

Aliud est loqui de factis vt sunt in actu: aliud, vt subiacent Causæ Contingenti. Primo enim modo Necessariò sunt, altero Contingenter

IIII.

Peccatum dupliciter consideratur, aut propriè & principaliter qua peccatum est: aut quatenus habet rationem boni, idque dupliciter, primo quia est in motu, actione, & inclinatione naturali, hoc est in bono subiectivè: deinde quia

ad

ad bonum est, Deo ex malo, bonum eliciente.

V.

Id, quo posito, aliud infallibiliter sequitur, nullâ aliâ mediante Causa, est eiusdem consequentis Causa, Deus autem vult euenire peccatum non Immediatè, sed Mediante hominis voluntate.

VI.

Rerum existentium Deus est principium ἐνεργητικὸν. Peccatum autem propriè loquendo non habet rationem Actus, vel Entis, sed defectus: Duplex enim est ens, Reale, & Rationis. Sub ente Rationis non solum Notiones continentur & Relationes, sed etiam Priuationes. Peccatum autem ens rationis est, non existens ὄντικῶς sed στερητικῶς.

VII.

In omni Peccato duo sunt, Materiale, seu subiectum, & Formale, hoc est Prauitas: Subiectum, est Res Naturæ, à Deo. Prauitas, subiecto accessit, ex hominis corruptione.

Loca Scripturæ quæ contra veritatem doctrinæ huius de Prouidentia detorqueri solent, hæc ferè sunt.

Contra Causam Materialem.

1. Ad Cor. 9. 9. Resp. Prouidentia alia est generalis, alia specialis. Ab huius autem negatione ad negationem Illius non valet conclusio.

2. Samuel. 1. 6. 1. Reg. 21. 34. Resp. Prouidentia, & casus non pugnant inter se, si diuersarum Causarum

Cauſarum reſpectus diſtinguantur.

Eſaiæ 31. 1. & Act. 5. 38. Reſp. Pro diuerſa principiorum conſideratione, iudicatur tum de Cauſis, ſiue proximis, ſiue remotis, tùm de Qualitatibus actionum, ſiue bonis ſiue malis. Quæcunque autem vitioſa qualitas eſt, eſt à principio ſingulari, non vniuerſali, aut communi.

Contra Cauſam Formalem.

Ezech. 18. 33. Oſeæ 13. 9. Pœnarum peccatorum duplex ratio diſtingui ſolet ac debet, alia eſt Iuſtitiæ in Deo, & rationem habet boni Moralis: alia Meriti & Culpæ in homine, & habet rationem mali. Atqui in hac poſteriore ſignificatione, loci intelligendi ſunt.

Prouer. 16. 4. Reſp. Operatio Dei reſpectu impiorum tria præſupponit. Primo determinationem peccati. Secundo ſubſtractionem gratiæ. Tertio ordinationem pœnæ.

Ieremiæ 10. 7. Loquitur Propheta ex ſenſu infirmitatis ſuæ, non de mendacio in doctrina, non de ſcelere aliquo in vitâ, ſed de vocatione ſua ad quam inuitus pertractus fuerat.

Exod. 4. 21. Eſaiæ 69. 19. Ezech. 14. 9. Ro. 1. 28. 2. ad Theſſ. 2. 11. Reſp. aliud eſt Operatio, aliud vero operans Permiſſio, illa in bonis, hæc etiam in malis. Permittendo enim Deus operatur quatuor modis. Primò quoad materiale peccati. Secundò quoad gratiæ inhibitionem, quam nemini debet Deus, quia gratia eſt. Tertiò quoad fines ad quos Deus peccata ordinat.

dinat. Quartò quoad iustam peccatoris punitionem, cuius hic summus gradus est, peccatum punire per peccatum.

DE OPERIBVS GRATIÆ SEV DE REDEMPTIONE.

OPVS Dei externum & temporale quod in rebus efficit, duplex est, *Naturæ* Opus, & *Gratiæ*.

Naturæ opus de quo hactenus sermo fuit, est, quo Deus aut Creauit res nondum existentes, aut creatas Conseruat, Gubernat, & Ordinat Prouidentia sua.

Gratiæ opus illud est, quod secundum beneplacitum voluntatis suæ Deus efficit in Electis qui hæredes salutis futuri sunt.

ATQVE hoc opus communi nomine REDEMTIO dicitur; Ad cuius operis explicationem, tria concurrunt. Principium, Modus, & Euentus seu Applicatio illius.

PRINCIPIVM, Christus est qua [illegible] a qua nulla potentia, nulla actio salutaris non proficiscitur quæ ad Redemptionem opus sit.

MODVS secundum quem hoc opus Christus exequutus est, est sancta illa Officiorum ipsius Oeconomia & dispensatio.

EFFECTVS autem seu applicatio dignoscitur, primò gradibus suis in hac vita, id est, *Vocatione* & *Iustificatione*. Secūdò Medijs externis, id est, *Fœdere Dei* & *Sacramentis*; Tertiò subiecto, id est, *Ecclesia*, quã Christus redemit sanguine suo.

Quare

Quare primò, de PERSONA CHRISTI: secundò de OFFICIIS PERSONAE: vltimò de reliquis locis ad APPLICATIONEM pertinentibus, agendum est.

DE PERSONA CHRISTI
PARS Κατασκευαστικὴ.

PRINCIPIVM proximum, singulare & determinatum Redemtionis nostræ CHRISTVS est qui θεάνθρωπος; Quia, per eum homo redimendus fuit, in quo redemptio nostra ab æterno prædestinata fuerat; per eum restaurandus, per quem initio creatus; in eo dilectionis Dei particeps fieri debuit, qui erat dilectionis filius; ac demũ filiorũ seu adoptionis ius adipisci in eo, qui naturâ filius & hæres Dei erat ab æterno.

Est ergo CHRISTVS θεάνθρωπος vt quam breuissimè definit Scriptura, Sermo Caro factus; seu Deus in carne factus conspicuus, id est, Persona, in cuius singularitate, Duæ naturæ, saluis manentibus earum proprietatibus, vnitæ sunt ad humani generis redemtionem.

Ad huius definitionis explicationem de tribus ordine videndum est.

Primo de NATVRIS & earum *Necessitate, Veritate, & Actionibus.*

Secundo, de Naturarũ Supposito, seu de PERSONA, illiusque tum *Vnitate*, tum *Operatione*.

Tertio de hypostatica naturarum VNIONE, illiusque *Modo, Fundamento, vi* & efficacia.

NA-

NATVRAS quod attinet, cum Natura sit Principium intrinsecum, rem ipsam constituens, & ab alijs distinguens: duas in Christo istiusmodi Naturas agnoscimus secundum Scripturam; *Diuinam* & *Humanam* tum in se, tum suis Proprietatibus distinctas[a]. Illa ab æterno Immutabilis, Immortalis, Impassibilis: hæc in tempore, concepta, & nata, Mutabilis, Mortalis, Passibilis.

a Rom. 9.1. 1.Ioh.5 20. Phil, 2. 6.

Vtraque indiuisè necessaria ad humani generis Redemptionem, seu officij mediatorij œconomiam. *Diuina* quidem vt Deo satisfieret, vt satisfactio analoga esset debito nostro, vt infinitum bonum, infinito malo succurrere posset, mortem superando, & sustinendo tum grauitatem peccati, tum infinitatem iudicij diuini. Adde quod cum arbitrium inter Deum & homines supra humanitatem sit; quod nemo primus & summus internuntius rerum diuinarum esse possit, nisi Deus per Deitatem suam: quod nulla operatio supra naturam, qualis est sufficiens Intercessio apud Deum, fit à Natura: quod nullum Principium, nisi Deitatis ipsius, Principium esse possit satisfactionis illius, quæ coram Deo constare possit: Necesse sit secundum Naturam Diuinam in Persona, omnes mediationis partes ipsum obiuisse.

Humana vero, vt homo ex lege Iustitiæ diuinæ satisfaceret; vt ad satisfactionis opus exequendum sufficienter pati posset, tum obediendo, factus sub lege: tum moriendo, factus maledictio secundum legem; vt fratribus suis per omnia

omnia similis, excepto peccato, fidelis & misericors pontifex esset in ijs, quæ apud Deum peragenda essent, ad expiandum peccata populi[a].

Est autem (vt de veritate harum naturarum dicamus paucis) NATVRA DIVINA Christi: qua eandem cum patre & Spiritu Sancto essentiam obtinet, quamuis & secundum personam qua filius Dei, & secundū œconomiā officij, qua Mediator ab Essentia Dei destinguatur: de qua natura in loco de Deo fusius actum est. a Heb.2.17.

NATVRA HVMANA Christi est: qua eandē nobiscum essentiam obtinet, exceptis, tum *Subsistendi Modo*, seu ratione Personalitatis, tum *Substantiæ vitiosis Accidentibus*, seu Peccatis.

Nec enim natura humana Christi quicquam est per se subsistens independenter, sed ἀνυπόστατος assumta est in singularitate personæ; absque vlla vel Naturarum confusione, vel Personæ diuisione[b]. b Philp.2.6. Ioh.1.1.

Nec vlla peccati contagio, naturam illam humanam Christi inficere aut potuit, cuius substantiam, in se alioqui corruptam originariè ineffabilis S. Sancti operatio ab omni prorsus macula sanctificauit & purgauit plenissimè; aut debuit, vtpote in qua purgatio peccatorum nostrorum facienda erat[c]. c Luc.1.35. Heb.4.15.

His exceptis, naturam nostram veram & realem, eandemque & totam perfectam Christus assumsit, secundum *Substantiam*, *Proprietates*, & *Infirmitates* illius.

SVBSTANTIAM, Nam & *Totam naturam* habuit Christus, & *Totus partes essentiales*.

Natu-

Naturam totam, Nam hinc in Scripturis: semen mulieris[a]: semen Abrahæ: semen Dauidis secundum carnem, seu fructus lumborum ipsius[b], & passim filius hominis vocatur.

a Gen. 3. Gen. 22. 16.
b Act. 2. 30.

Partes: habuit enim & *Animam rationalem* & *Corpus organicon*.

Animam rationalem; probant *Scriptura*[c]; *Incarnationis finis*: quod enim assumtum non est, est incurabile. *Naturæ veritas*, quia quę reliquæ sunt partes hominis, per animam speciem sortiuntur.

c Ioa. 10. 17. Mat. 26. 38.

Corpus organicon; probant, *veritas Humanæ Naturæ*, quæ determinatam materiam, id est, corpus carneum & terrenum requirit[d]: *Veritas Satisfactionis*, quæ fieri debuit in corpore, verè passibili & mortali: demum *Veritas demonstrationis*. Demonstrauit enim Christus vel signis, se habuisse corpus non Phantasticum aut cœleste, sed carneum & terrestre[e].

d Luc. 24. 39 Act. 3. 21.
e Luc. 24. 39. Heb. 2. 14.

PROPRIETATES quas Christus coassumsit, sunt, vel *Totius Naturæ*; Creatum esse & Finitum; vel *Partium*; Animæ quidem: habuit enim Intellectum[f], & Voluntatem[g], ac vtriusque operationes. Corporis vero; habuit enim Figuram, quantitatem, & circumscriptionem, atque omnes corporis actiones proprias & naturales[h].

f Mat. 26. 38
g Luc. 22. 42.
h Luc. 2. 40. Math. 4. 2.

INFIRMITATES. Conducebat enim ad finem Incarnationis, vt omnes *defectus naturales* coassumeret excepto peccato; Defectuũ enim, alij sunt *miserabiles* simpliciter, vt vocat Augustin., alij verò damnabiles, siue vt Damascenus vocat

Ioh. 11. 35. Ioh. 4. 6. Mat. 8. 24. Math. 27. 50 Ioh. 29. 27.

δία-

ἀνεβλητοι seu detestabiles. *Illos* Christus coassumsit, quia perfectioni, scientiæ, & gratiæ ipsius non erant impedimento[a]. *Hos* vero non item quia redemtioni nostræ obfuissent.

a Ioh.1.14. 1.Tim.3.16. Heb.5.7.

HARVM NATVRARVM, quarũ Necessitas & Veritas explicata est, operationes diuersæ sunt[b]. Sunt enim duæ in Christo Naturæ, duo velut Principia intrinseca & Energetica, ex quibus formaliter actiones, earumque modi deducuntur. Vnde vt omnia in Christo (sola excepta subsistentia) duplicia sunt, natura, proprietates, Voluntas, Scientia[c], ita & duplices sunt operationes, aliæ Diuinæ, aliæ Humanæ, distinctæ *Principijs suis, Modis agendi, & Actionibus singularibus cuiusque.*

b 1.Pet.3.18

c Mat.11.27 &.23.37. Ioh.2.19. 1.Cor.15.27 Luc.2.47.

Principijs, Quia quot sunt Naturæ, tot sunt actionum principia Formalia.

Modis agendi; Agit enim quodque Principium, pro modo & conditione ipsius. Deitas, modo supranaturali, & diuino: Humanitas, modo Physico & humano.

Actionibus singularibus, agit enim verbum quod verbi, & Caro quod Carnis est, sine confusione Naturarum, in vnitate Personæ.

Hæc de NATVRIS: alterum sequitur de illarum Supposito, id est, de PERSONA, illiusque tum *vnitate*, tum *operationibus*.

PERSONAE CHRISTI duplex in Scripturis ratio haberi & explicari solet; *Vna* quidem ratione essentiæ τὸ λόγῳ: *altera* ratione Officij seu Oeconomiæ.

Ratione

Ratione essentiæ consideratus Christus, seu ἀσυνθέτως vt loquitur Nazianzenus; est ὑπόστασις in essentia diuina, alia ab alijs, non tamen aliud.

Ratione œconomiæ, quæ à nobis hoc loco consideratur, est, Secunda illa Diuinitatis Persona Incarnata, id est, Persona quæ naturam humanam creando assumpsit in singularitate suæ subsistentiæ Immediatè, & eandem mediatè vniuit per Personam cum natura diuina; ita vt Christus vnus sit, ex vtraque naturâ, non duo in vtrumque, vnus & idem, sine tempore natus de patre, filius Dei ἀμητῶρ; & in tempore natus de Virgine, filius hominis ἀπατῶρ, vtriusque filius naturalis & consubstantialis.

Hanc PERSONÆ VNITATEM tria probant; *Primò* Scripturæ Authoritates. Est enim Christus, docente Propheta, Immanuel [a], docente Angelo, idem Filius Dei, qui ex Maria nasci debebat [b], docente Euangelista, verbum Caro factum [c], docente Apostolo; idem ex Patribus secundum carnem, qui est supra omnia Deus laudandus in sæcula [d].

a Esai. 7.
b Luc. 1. 35.
c Ioh. 1. 1.
d Rom. 9. 5.

Secundò Finis Incarnationis; Quia vt vnum fierent Deus & homo in Fœdere, oportuit vnum fieri Deum & hominem in Persona, non communicatione gratiæ, sed naturæ veritate: nec confusione substantiæ, sed vnitate personæ.

Tertiò Denominata vtriusque naturæ, eidem supposito attributa; vt enim non cadunt in naturam Diuinam quæ Humanæ sunt Propria; nec in Humanam, quæ Diuinæ, ita omnia communiter,

muniter, & ex veritate, de perſona, ſecundum vtramque naturam prędicantur[a]. Itaque vna & eadem Perſona Æterna eſt, & non-æterna; Infinita, & Finita; diuinas proprietates omnes & humanas obtinens; illas ab æterno qua Deus: has in tempore aſſumptas qua homo: vtraſque realiter, ſed intranſitiuè, qua Homo-Deus.

a Act.20.28. 1.Cor.2.8.

Hæc PERSONA, Principium eſt commune earum actionum quas Græci θεανδρικὰς appellarunt. Sunt enim Actiones Chriſti non tantum, aliæ humanæ, aliæ diuinæ, ſed etiam aliæ communis operationis, quas Chriſtus efficit, & qua homo-Deus, Natura: & qua mediator, Oeconomia. Actionum Naturalium, Principia ſunt Naturæ: Perſona vero & communium, & ſingularium, ſecundum vtramque Naturam: vnde omnis operatio Chriſti reſpectu perſonæ numero vna eſt: reſpectu naturarum ſpecie duplex eſt: *vna numero:* quia vnus eſt ἐνεργὼν & vnum θεανδρικὸν. *Specie duplex,* quia alia eſt Diuina, Deitatis: alia Humana, Humanitatis.

Vltimum reſtat de HYPOSTATICA VNIONE duarum naturarum in Chriſto. Cuius *Natura, Fundamentum, vis & efficacia,* paucis explicanda veniunt.

Naturam huius VNIONIS dignoſcemus, Definitione & Diuiſione illius. Eſt enim Perſonalis, (non perſonarum) duarum Naturarum, (non naturalis) in Chriſto coniunctio: non qualis eſt Superiorum cum Inferioribus, Accidentium cum Subſtantiis, aut Partis cum

Toto: sed quâ; tum Mediatè Naturæ duæ, vniuntur in Persona, tum Immediatè Natura Humana Personæ, modo arcano & arctissimo[a].

a 1.Tim.3.18 Gal.4.4. Col.2.9.

Hinc VNIO, quæ Re vna est, Modo considerationis, duplex dici ac distingui solet; Vna *Immediata*, Personæ Assumentis, & Naturæ humanæ assumptæ. Accessit enim humana Natura, propria Personalitate destitura, ad Personam perfectam, non perficiendam, à qua assumpta est, vt tota subsisteret in tota persona[b]. Altera *Mediata* duarum Naturarum inter se, mediante Persona facta; sine vlla vel Naturarum confusione, vel Personæ diuisione.

b Ioh.1.1.2.3.&c. Ioh 1.14. Heb.2.14.

Non naturarum confusione. Est enim facta ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως. Immutabiliter & Inconfusè, Naturis earumque proprietatibus essentialibus (quæ nec confundi debent, nec transfundi possunt;) distinctis & integris, ita vt nec inter se confundantur, nec in se singulæ mutentur.

Non Diuisione personæ. Est enim facta ἀδιαιρέτως & ἀχωρίστως, Indiuisè & Inseparabiliter: ita vt nec natura humana à persona, nec naturæ in persona, à se vnquam, aut vlquam separentur.

FVNDAMENTVM huius vnionis est Incarnatio; huius causa Efficiens, Inchoatiuè vt loquuntur Scholastici, est tota Trinitas: Terminatiuè vero est ipse Christus, factus quod non erat & manens interea quod erat.

Huius Incarnationis partes duæ sunt; Conceptio

ceptio & Natiuitas; vtraque ordinaria, quoad veritatem materiæ. Assumsit enim Christus naturam nostræ similem, ex substantia Mariæ: extraordinaria tamen, *quoad modum*, id est tum Formationis in vtero Mariæ, tum Assumptionis, tum Sanctificationis, tum denique Complementi respectu: *Formatio* enim fuit Immediata absque interuentu viri in virgine. a Luc. 1. per totum.

Sanctificatio fuit ab omni Peccati macula, siue *habituali*, siue *actuali*. *Assumptio* in vnitatem personæ facta est absque vlla alteratione. *Complementum* denique fuit secundum Prophetias.

Ex hac VNIONE, vt vim illius paucis explicemus, duo consequuntur: COMMVNIO NATVRARVM & COMMVNICATIO IDIOMATVM.

COMMVNIO Re eadem est cum Vnione Naturarum, κατ' ἀφαίρεσιν: Modo tamen considerationis differt; quod illa, Huius sit velut Effectum, & Consequens. Significat enim propriè, hęc Naturarum Communio, Concomitantiam Proprietatum & Operationũ; vtriusque Naturę, in opere Mediationis, ad vnum ἀποτέλεσμα concurrentium: cuius ratione fit, vt propria cuiusque naturę, in Persona communia sint & dicantur. Et hęc est Basis COMMVNICATIONIS IDIOMATVM.

Est enim Phrasis loquendi, qua de tota Christi persona, Propriũ alterius naturę, Realiter prędicatur, sic tamen vt vni naturæ propriè καθ' αὑτο, alteri vero καθ' ἄλλο competat. Sic dicimus, *Deum acquisiuisse sanguine suo Ecclesiam* b. Christum *hominem esse vbique* c. Atque hæc est illa Gratia, quam vocant Scholastici b Act. 20. 28. c Ioh. 3. 13. & 6. 62.

laſtici *vnionis*, vtpote propter quam de Chriſto dicatur, quod Deus ſit homo, & homo Deus.

Eſt autem hæc Communicatio diuerſo modo & REALIS & VERBALIS. *Realis* quidem propter Naturarum vnionem & Perſonæ vnitatem: Vnus enim eſt Chriſtus, qui quod Humanum eſt, habet Deus in veritate naturæ Humanæ, quod diuinum eſt, habet homo in veritate naturæ Diuinæ: Idem in eodem Deus & homo. Vnde vt Verbum propter carnem Homo eſt: ſic & Caro propter Verbum Deus eſt. Nec tamen aut Humana natura coextenditur Diuinæ, aut diuina concluditur in humana, quia quæ Idiomata, nomine concretiuo, in perſona ſecundum vtramque naturam communicantur: ea in abſtracto naturis ſingulis non communicantur, quia Idiomata ſunt.

Præſentia ergo Vniuerſalis, Omnipotentia & Omniſcientia, non minus quam ipſamet Æternitas & Immenſitas ſunt Dei αυτ'ὁσια ſeu idiomata eſſentialia, quæ communicari non poſſunt. Eſſe autem vbique, Omnipotentem, Omniſcium, vt Æternum & Immenſum eſſe verè de Chriſto homine enuntiantur, non ſecundum alium, ſed ſecundum aliud, per communicationem Idiomatum, quæ vera eſt quatenus res vera eſt.

Ab hac reali Idiomatum Communicatione, diſtinguenda eſt realis illa Communicatio donorum, tum naturalium, tum ſupranaturaliũ, à natura Diuina, Humanæ facta, tum ſecundum

dum se, tum in Persona: quorum alia, spectant *Carnis assumptæ Perfectionem*, alia *Potestatem officij*.

Dona Perfectionis, sunt omnia illa, quibus Natura assumpta, secundum seſe, & in se, est locupletata: siue ea sint, quibus vi vnionis, natura humana Christi fruitur modo beatissimo: siue Indita & Infusa, idque in summo Gradu, quem vnquam natura Humana assequi potest: siue denique Habitu acquisita sint, vtpote, quæ successiuè secundum ordinem naturę percepit Christus, donec natura eius ad perfectionem suam euecta est.

Dona potestatis siue officij ea sunt, quæ ratione œconomiæ, accepit in tempore, non quidem secundum alterutram naturam seorsim, sed totam Personam: quæ ideo incarnata est, vt in vtraque natura, & secundum vtramque, salutari mediatoris officio defungeretur.

Communicatio VERBALIS dicitur, quæ pertinet ad verborum, & Phrasium expositionem, in sacris litteris occurrentium: & qua quod vnius naturæ proprium est, de altera nomine tenus prędicatur, propter Identitatem Personæ, & Proprietatum in Persona adunationem.

Vt autem Tria sunt nominum genera, quibus subiectum de Christo enunciatur: ita tria sunt Attributorum genera, quæ de eo prędicantur. Quædam enim naturæ Diuinæ tantum, quędam Humanæ tantum, quędam vtrique in Persona conueniunt. Quæ Primi & Secundi

ſunt Generis, ſunt ἀκοινώνητα quæ tertij, vtriuſque naturę reſpectu, in Perſonâ de Chriſto dicuntur.

Ex hac tum ſubiectorum, tum prædicatorum differentia, duplex prædicationis modus exſurgit: *Proprius* & *Simplex*: *Improprius* & *Figuratus*.

Proprius eſt quando, vel ea quæ ſubiecto, id eſt, perſona ſecundum alterutram naturam vera ſunt, de ea itidem enuntiantur. Eoque prædicatum Diuinum de perſona verum eſſe ſecundum diuinam, ſecundum humanam, Humanum intelligitur. vt Filius Dei eſt vbique, omnipotens, æternus, Filius hominis eſt natus, mortuus, in cœlis: vel quando prædicatum, vtrique naturæ commune, communi quoque nomine de ſubiecto prædicatur, *vt Chriſtus redemit nos ſanguine ſuo*.

Improprius, vel quando quæ ſunt totius Perſonæ, ea de alterutra natura in concreto denominata enuntiantur, *vt Deus redemit Eccleſiam. Caro viuificat*; Vel denique, quando quod vnius naturæ proprium eſt, de Perſona ab altera natura denominata, prædicatur; *vt Deus paſſus eſt, homo vbique eſt*. Quæ loquendi ratio, *Enallage* ſeu propriè, *Communicatio Idiomatum* dicta fuit.

DE PERSONA CHRISTI,
PARS Ἀνακεφαλαιωτική.

Pro neceſſitate Naturæ Diuinæ in opere Mediationis. Contra Bellar. lib. 5. 2. Contro. 1. Tom. cap. 3.

I.

I.

PRINCIPIVM mediationis, vel absolutè consideratur, vel oppositè. Absolutè Principium est Persona Christi Dei-Hominis. Oppositè verè, & distinctè Principium in eadem persona, aliud est *Primum* seu *Principias*, λόγ& secundum naturam Diuinam ipsius: alterum, *Secundum*, vel Principiatum: Natura humana subsistens in Persona.

II.

Alias operationes fecit Christus secundum Formam serui, alias secundum Formam Dei simpliciter, alias vero communiter secundum vtramque.

III.

Christus, cùm Deo comparatur, distinguitur à Creatura duobus modis, Natura & Oeconomia: *Natura*, cum secundum personam distinguitur à Patre. *Oeconomia*, secundum officium distinguitur ab Essentia Dei, vt Mediator est: Secundum naturam æqualis est Patri: secundum vero Oeconomiam minor est Patre.

IIII.

Patres cum Humanæ naturæ faciunt mentionem, non excludunt Diuinam, sed supponunt vnionem vtriusque. in Vnitate Personæ, ad Vnitatem Operationis concurrentium.

V.

Christus natura, cum vtraque parte, quæ concilianda est, velut terminis, quos adunari oporteat, communicat: modo tamen œconomiæ differt, qua Deus homo.

VI.

Christus secundum Naturam qua Deus est, conuenientiam habet cum Deo: qua Homo nobiscum, vt contra qua Deus distat à nobis, qua homo seu Oeconomia voluntatis à Deo.

VII.

Consideratur Christus, aut qua διαζευκτικῶς, aut secundum rationem Naturæ absolutæ huius aut illius. Primo modo suiipsius mediator dicitur, non secundo.

VIII.

Mediatio non conuenit Personæ secundum naturam communem Deitatis, sed secundum naturam singularem, vel Formam subsistentem quam Personalitatem vocant.

IX.

Aliud est de diuinitate Christi in se agere, secundum naturam ipsius seorsim, aliud qua in suppositio. Christus autem sacerdos est, non qua Deus est natura, sed qua Deus homo œconomia voluntatis.

LOCA.

1. Ad Timoth. 2. 5. Respon. Christus homo tribus modis enuntiatur. Aut enim persona Christi notatur, quæ persona homo est, aut persona Christi qua homo, aut denique humanitas simpliciter. Non sequitur autem. Mediator homo, ergo, mediator qua homo, aut secundum humanitatem.

Pro

Pro VERITATE *humanæ naturæ.*

I.

ALIVD est agere de Causa Materiali carnis Christi, aliud autem de Causa formatrice. Substantiam enim, non attulit Spiritus Sanctus, sed disposuit & sanctificauit.

II.

De quo accidens rei negatur, non de eodem rem seu subiectum istius accidentis negare necesse est, & è contra.

III.

Defectuum qui quidē priuatiuè ita dicti sunt, alij perfectioni repugnant fugiendi per se & damnati; alij communes sunt omnium, fugiendi quidem voluntate naturæ per se, non tamen damnati: alij denique sunt Personales, pro ratione individuorum. Primos Christus non est expertus; secundos, quia essentiales & naturales sunt hominis corrupti, Christus omnes in se suscepit; De tertijs res dubia est.

LOCA.

2. Ad Corinth. 13. 4. Aliud est agere de Christo oppositè & distinctè Secundum Vtramque Naturam: aliud vero, de Persona, cui propter vnitatem, communicatur quod vtriusque naturæ Proprium est.

Iohan. 6. 51. Descensus alius est localis, alius metaphoricus, alius Naturæ, alius Oeconomiæ, alius secundum Substantiam, alius secundum exinanitionem. Descendit Christus

secundum modum œconomiæ & exinationis, non autem localiter. Caro autem Christi duobus modis consideratur, vel secundum se simpliciter, vel quâ Mediante Persona vnita est cum natura diuina, atque, hoc modo, non isto, caro Christi dicitur panis vitæ, scilicet non Causaliter, sed instrumentaliter.

Pro VNITATE *Personæ.*

I.

CHRISTI duplex est consideratio vna secundũ Personam communiter, altera secũdum naturas oppositè. De naturis autem in persona enunciantur, quæ personæ respectu vtriusq; conueniunt.

II.

Ὁμοουσία naturarum est, non personæ; Christus enim non alter ex patre est; alter ex virgine secundum personam, sed aliter ex patre, aliter ex virgine secundum naturas, quia secundum naturam diuinam ὁμοούσιος est Patri, secundum humanam ὁμοούσιος est Virgini:

Iohan. 2. 19. Soluite templum hoc &c Resp. A naturis ad personam non valet conclusio, Templum enim dicitur non persona, sed humanitas Christi, in qua Deitas habitauit corporaliter.

Heb. 7. 3. Duplex Christi est natiuitas; vna sine matre secundum diuinam naturam, altera sine patre secundum humanam; vtraque autem vnita est in vno eodemque Supposito.

Pro

Pro DVALITATE *Naturarum.*

I.

NOMINA concreta, non multiplicantur, niſi multiplicentur ſuppoſita, Vnum autem cum tantum ſit ſuppoſitum in Chriſto: vnus tantum ſit Chriſtus neceſſe eſt.

II.

Actiones & paſſiones, Perſonarum ſunt non Naturarum. A perſona autem ad naturas inconſequens eſt concluſio.

Pro VNIONE *hypoſtatica & communicatione idiomatum contra vbiquitarios.*

I.

TRIBVS modis aliquid vnitur *Eſſentialiter*, cum ex pluribus fit vna eſſentia. *Accidentaliter*, cum accidentia ſubiecto adiunguntur. *Subſtantialiter*, cum ſubſtantia, quæ alioquin per ſe exiſteret, trahitur ad eſſe alterius ſuppoſiti, & ab illo pendet tanquam pars ipſius.

II.

Diſcernendum eſt inter Diuinitatem mittentem, & perſonam miſſam, eſtque alia conſideratio τὲ λόγυ ratione eſſentiæ, alia Ratione Officij.

III.

Quæcunque de Chriſto enuntiantur, aut diuina ſunt ſimpliciter, ad naturam diuinam ipſius pertinentia, aut Humana ad Humanam

nam, aut communia Mediatè ad personam totam. Gloria itaque, potentia, reliquaque de Christo cum enuntiantur, his tribus modis considerandæ sunt. Vt diuina, & sunt essentialia, ac incommunicabilia, vt Humana, & propria sunt Christo in forma serui: vt Mediatoria, quæ propria sunt personæ Christi in vtraque natura simul atque communiter.

IIII.

Qualis cuiusque rei est Substantia: talis est etiam essendi Modus. Corporis autem Christi vna est Substantia; ergo vnus essendi modus: qui corporibus proprius est, id est, circumscriptiuus, non Definitiuus qui Spiritibus, non Repletiuus qui Deo proprius est.

V.

A Christo Homine ad Christi humanitatem impertinens est conclusio. Nec enim Natura cum Naturâ, Persona cum Naturâ, aut Abstractum cum Concreto confundi debent.

VI.

Non vnionem facit Imitatio, Exæquatio, aut Communicatio essentiæ, seu Proprietatum: sed Copulatio Naturarum, in vna Hypostasi.

VII.

Distinguendum inter *Totum Christum & Totum Christi*: quorum prius Personam, posterius Naturas respicit. Nec enim quod de toto Christo verum est, de Toto Christi commodè aut verè enuntiatur.

Loca Scripturæ.

Matth. 26. Act 2. Ephes. 1. Aliud est dextras aliud

aliud ſedere ad dextram: aliud Chriſtus, aliud Chriſti humanitas: aliud figurata, aliud propria Dextræ ſignificatio. Duo enim in Scripturis extra Propriam ſignificationem, Dei dextra ſignificat: Potentiam & Gloriam. Vtramque Chriſtus habet communicatam, quâ perſona θεάνθρωπος: vnde Scholaſtici, aſcendiſſe Chriſtum aiunt, ad Conſeſſum Paternæ Dextræ. *Aequaliter ſecundum Diuinam, Aliqualiter ſecundum Humanam Naturam.* Prout duplex deſcenſus in Scripturis ipſi tribuitur, vnus ſecundum exinanitionem quâ Deus, alter ſecundum locum localem quâ homo.

Matth. 28. Philip. 2. Coll. 3. Epheſ. 4. Toti Perſonæ attribuuntur alterius Naturæ propria propter vnitatem Suppoſiti. Omnis enim illa Poteſtas, Dignitas, Exaltatio, Officij eſt & Perſonæ Mediatoris, non Naturarum propria: Chriſto autem homini attribuuntur, tum per Gratiam vnionis, tum propter Exaltationem illam Perſonæ Chriſti, quæ facta eſt ſupra omne nomen.

DE OFFICIO CHRISTI.

PARS *Κατασκευαστικὴ*.

A PERSONA Redimente tranſitur ad Modum Redemtionis quem OFFICIVM Chriſti circumſcribit. Cum enim Redemtionis MODVS totam illam Actionem Chriſti ſeriem & rationem complectatur, quas ſecundum Oeconomiam, diſpoſitionem, ac diſpenſationem voluntatis, tum paternæ, tum ſuæ, præſtitit: Eas

ſuis

suis omninò Gradibus, Gradus autem OFFICIIS Christi dignoscere oportet.

Dignoscimus autem, tum *Generatim*, secundum rationem communem, tum *Singulariter*, secundum Species & Partes ipsorum.

GENERATIM OFFICIVM Christi definitur; Munus Mediationis, Filio demandatum à Patre [a], à Filio vero, & voluntariè receptum [b], & in vtraque Natura perfectè adimpletum [c], vt nos Deo, Deum nobis vniret, & reconciliaret in æternum [d].

a Heb. 5.5 Ioh. 3.17.
b Ioh. 10.18. Heb. 10.7.
c Phil. 2.8. Rom. 5.19.
d Ioh. 11.51 52. Rom. 4.25.
e Heb. 1.9. Esai. 61.1.

CAVSA EFFICIENS Officij huius, est quidem Deus Essentialiter, Pater, Filius & Spiritus sanctus [e], sed tamen seruato ordine Processionis, tum qui *Internus* est Personarum inter se, tum qui *Externus* ad res creatas; vtriusque enim respectu fit, vt Pater, à quo & essentia est, & virtus operandi secundum Principium Causa Efficiens huius officij dicatur, à quo filius vnctus est, & quoad *Vocationem*, & quoad *Donorum Collationem*, quorum Posterius ad Humanam Naturā propriè, Prius ad Vtramque pertinet; Filius vero Causa Media, seu Medians dicitur, ordine Personæ à Patre, Oeconomia vero Officij, Patri subordinatus [f].

f Ioh. 14.28.

MATERIA Officij huius duobus modis consideratur *Subiectiuè* & est vtraque Natura Christi [g], non separatim sed coniunctim; Mediationis enim duplices sunt partes, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, & τὰ πρὸς ἡμᾶς, eóque Christum, vt Mediatorem Officio, ita Medium Persona Esse oportet, Inter Deum & Nos, vt Natura cum vtriusque

g Ioh. 6.33. Heb. 9.14.

Commu-

Communicando, Officio inter vtrosq; Mediator esset. Deinde ἐνεργητικῶς, & sunt Actiones omnes, quas vt Deus Diuinas, vt Homo Humanas, vt Mediator, vnas atque indiuisas præstitit. Vnde θεάνδρικαι appellantur: quia Operationũ vtriusq; Naturæ, vt vnus est ἐνεργῶν, ita vnum est ἐνεργούμενον. Operatio enim est personæ, operationum vero Principia sunt Naturarum.

FORMA est Modus administrandi, seu Mediatio ipsa, quæ vel modo *latiore* vel *angustiore* à Scholasticis considerari solet: *Illo*, quæ Christi est, vt capitis omnium Angelorum & Hominum communiter, *hoc* vero, quæ Christi est, vt hominum Redemtoris particulariter, quomodo hic à nobis accipitur.

In hac vero Mediatione Christi Redemtoris duo considerantur Analoga, Persona, & Operatio, vnde Mediatio alia dicitur *Substantialis*, alia *per Operationem*.

Substantialis Mediatio, est coniunctio duarũ Naturarũ in vna Persona ad Mediationis opus.

Quæ vero est *per Operationem* certis Gradibus perficitur. Primus est *Arbitri*, secundus, *Internuncij*, Tertius, *Intercessoris*, Quartus, *Satisfactionis*, vltimus vero, *Gubernationis*. Atque has omnes mediationis partes perfectè obiuit & obit persona Christi, seruatis vtriusque naturæ proprietatibus. Est enim inter Deum & homines Arbiter, Internuntius à Patre apud nos: à nobis apud Patrem Intercessor, qui pro nobis orat, & supplicat: Sacerdos qui seipsum patri pro nobis obtulit, Gubernator

tor denique, qui nos, virtute & efficacia ſui Spiritus regit. Atque horum graduum primus & ſecundus eſt Prophetiæ, Tertius & quartus Sacerdotij, vltimus vero regni Chriſti Mediatorij.

FINIS officij Chriſti ſummus eſt gloria Dei, ſubordinatus Redemtio, Iuſtificatio & ſalus noſtra.

Atque hæc *Communis* Officij Chriſti, ratio eſt ac Modus.

SINGVLAREM diſtinguunt ac definiunt *Species* ac *Partes* illius.

Species officij Chriſti tres ſunt, prout tum Conditionis hominis extra Chriſtum, & liberationis eiuſdem ex illa per Chriſtum, neceſſitas, tum Vnctionis illius à qua Chriſtus denominatus eſt, veritas luculentiſſime euincit[a].

a Pſal.45.7. Heb.1.9.

Conditionis hominis extra Chriſtum tres veluti ſunt gradus. Primus Ignorantiæ, ſecundus Inordinationis, Tertius, Reatus ex vtraque. Liberatio hominis ex illâ perficitur ſecundum tres gradus contrarios, quos obſignat nobis officium Chriſti. Siquidem *Ignorantiæ* opponitur Prophetia, *Inordinationi* Regnum Chriſti, & regni illius extructio in nobis, *Reatui* Sacerdotium.

Idem euincit *vnctionis Chriſti veritas*. Quæ enim ratio fuit triplicis vocationis, Propheticæ Sacerdotalis & Regiæ, quæ externo oleo confirmari ſolitæ ſunt[b], eadem & officij Chriſti vncti à patre, tum quoad Vocationes iſtas, tum quoad Collationem donorum in illis.

b Exod. 30. 33 24. Exod.28.41. 1.Sam.16. 14. 1.Reg.19.16

Triplex

Triplex ergò Christi Mediatoris OFFICIVM est: PROPHETAE, quo nos docet malum nostrum & bonum Diuinæ Gratiæ [a], SACERDOTIS, quo nos redimit à malo nostro & parat nobis diuinam gratiam [b]; REGIS, quo nos defendit ab omni malo, & tuetur in illa collatione gratiæ [c].

a Mat. 3. 17.
b Psal. 110. 4. Heb. 7. 21.
c Psal. 2. 6. Luc. 1. 32.

Atque hæc Tria Officia, Christus ordine præstitit, & hodie adhuc præstat in cœlis, partes Mediatoris, agens suo ordine, erga nos, & erga Deum Patrem. *Erga nos*; docens, sanctificans & regens virtute Spiritus sui. *Erga Patrem*; legationem suam exhibens & oblationem suiipsius, quinimmo Regiam Authoritatem, sibi à patre datam potentissimè exercens.

PROPHETICVM OFFICIVM Christi, est functio personæ qua docet & instruit Ecclesiam suam.

Huius Muneris veritas, *partibus & modis suis* dignoscenda est: PARTES Duæ sunt; Externa Doctrinæ Promulgatio; & Interna Illuminatio, seu Doctrinæ efficacia.

Externa doctrinæ promulgatio est, tùm prædicatio Euangelij de gratia Dei & redemtione generis humani, tum Legis interpretatio ex mente ipsius legislatoris, tùm denique Futurorum prædictio & Prophetia [d].

d Mat. 4. 17. Esai. 61. 1. Ioh. 1. 13. Mat. 5. 17. &c.

Doctrinæ efficacia est præcipuum illud χρισμα officij Prophetici, quo per Spiritum Sanctum, mouentur fideles, vt & mente capiant, & corde velint ea quæ docentur [e] promulgatione.

Ioh. 3. 18. e Ioh. 5. 25. & 6. 68. Mat. 16. 16.

Mo-

MODVS huius officij duplex est, vnus *Immediatus*, alter *Mediatus*.

Immediatus est, quo Christus, secundum Naturam Diuinam ex se, in veteri Testamento, Patriarchas & Prophetas, per visiones, Oracula, & insomnia instituit: secundum vtramque vero in Nouo Testamento, externa voce, siens, & volens, humanum genus docuit [a]. Hinc λόγος æterni Patris; Legatus Iehouæ, Angelus fœderis [b], Consiliarius [c] & Apostolus professionis nostræ [d], passim in Scripturis vocatur.

a Heb.1.1.
a Pet.1.21.
b Mal.3.1.
c Esai.9.6.
d Heb.3.1.

Mediatus est, quo Christus per Patriarchas & Prophetas in vetere; & per Apostolos eorũq; successores in nouo Testamento, Ecclesiã instituit verbi ac Sacramentorum Ministerio [e].

e Luc.24.45. Act.16.14. Luc.21.15.

SACERDOTALE OFFICIVM Christi, est opus Personale Christi προφορικὸν, quo ordinatus est ad satisfaciendũ Deo pro hominibus.

Huius officij duplex in Scripturis solet tradi ratio, vna *secundum typum*, altera *secundum veritatem*. Typus fuit, tũm Vocationis, seu Personæ, tum Exequutionis, seu Actionum ex vocatione.

Persona typica in veteri Testamento fuit Sacerdos, siue ordinariam habens vocationem, communiter secundum ordinem Leui: siue extraordinariam singulariter vt Melchisedec; secundum cuius ordinem, Christus, tum propter dignitatem Personæ, tũm propter Modum vocationis sacerdos dicitur [f].

f Psal.110.4. Heb.7.21.

Actiones ex vocatione triplices sunt: *Legem custodire, Sacrificia offerre & Intercedere.*

Custo-

Custodia Legis diuinæ summo Pontifici inter alia seuere fuit commendata, vtpote cuius tabulas à Deo datas, in arca fœderis repositas, conseruare debuit.

Sacrificiorum quæ offerebantur à Sacerdote, Hilatticorum, & Sacrificij vere Propitiatorij Typorũ, duplex erat genus; vnum ὁλοκαυτικὸν seu Holocaustum, alterum ἀπολυτρωτικὸν seu Redemptorium.

Holocaustum, erat Sacrificium, in quo animal, siue maius siue minus, pro facultate cuiusque offerentis ritè mactatum totum cremabatur, & in cineres redigebatur [a]; eratque tum *Ordinarium* tum *Extraordinarium*. a Leui.1.2.3 &c.

Ordinarium, aliud fuit *Perpetuum* siue Iuge, quod quotidie peragebatur duobus Agnis [b]; aliud *Statum* quod statis diebus, siue Sabbatinum quod Sabbathis singulis; siue Menstruum quod in nouilunijs, siue anniuersarium quod quotannis offerebatur [c]. b Exo.29.39

Extraordinarium, fuit, quod pro incidente, vel publica totius populi, vel priuata cuiusque necessitate peragebatur [d]. c Leu.23.3 &c. Num.28.2.3 &c. d 1.Sam.7.8 2 Sam.24.25

Ἀπολυτρωτικὸν erat; Quo certa quædam peccata expiabantur; eratq; aliud pro Peccato, ex Errore vel Ignorantia cõmisso [e], aliud pro delicto, seu peccato commisso à sciente & volente [f]; Vtrumque vel Ordinarium fuit in Nouilunijs vt testo Paschatis & Pentecostes [g], vel extraordinarium alio quouis tempore. e Leu.4.2.3. &c. f Leu.7.24. &c. g Leui.23.19 Num.28.15.

Accedit tertia Sacerdotis actio, seu *Intercessio*, cuius veluti tres erant partes; *Præsentatio*, qua se

le sacerdos tanquam mediatorem Deo pro populo sistebat. *Sponsio*, qua pro se & populo gratitudinem & obedientiam spondebat sanctè. *Precatio* qua & sua & populi peccata deprecabatur.

Atque hæc ratio fuit Typi, cui veritas officij sacerdotalis Christi modis omnibus conuenientissimè & perfectissimè respondet, siue *Vocationem personæ*, siue *Exequutionem officij* respexeris.

Vocationem personæ Christi ad officium hoc sacerdotale tria probant Argumenta. Primum, *Testificationis diuinæ*, cuius duplex testimonium citat author Epistolæ ad Hebræos[a]; Secundò, *voluntaria personæ Christi exinanitio*, & officij Oeconomia, Cuius finis vnicus fuit, Officij huius Exequutio. Tertiò *Analogia* & Comparatio Personæ Christi, & Melchisedeci, quam fusè prosequitur author ad Hebræos[b].

a Heb.5.5 6.

b Heb.7.1.2. &c.

Exequutio officij Christi Sacerdotalis, tribus velut partibus absoluitur. Legis impletione, Pœnarum Persolutione, & intercessione, seu vtriusque gratiosa & efficaci Applicatione.

Legis impletio est, qua totam iustitiam ad quam tenebamur sponte & perfectè præstitit, tum perfecta intellectus & voluntatis cum lege illa conformitate, tum operibus cum hâc lege congruentibus & perfectis, Internis & externis[c].

c Rom.8.4. Ioh.17.19. Mat.3.15.

Duo enim requirebantur vt lex posset impleri. *Iustitia personæ*, seu Habitualis; & *iustitia*

tia *Operationis* seu Actualis, *illa*, à qua Potentia, *hæc*, à qua implectionis actus; vtramque Christus habuit, non sibi tantum, sed nobis, sibi tamen, quia homo, nobis vero, quia homo pro nobis. Vt enim factus est ὑπὲρ ἡμῶν nostri causa, ita quæ homo habuit, & fecit, habuit & fecit pro nobis. Hinc & Obedientia illius multi dicuntur iusti: & ipse Finis legis dicitur, ad iustitiam cuiuis credenti [a].

a Rom. 5. 19.

Pœnarum persolutio, est Christi voluntaria oblatio, qua Seipsum Deo & Patri in Spiritu æterno stitit pretium redemtionis pro peccatis nostris, ipse & Sacerdos & Sacrificium.

Oblationis istius duæ veluti fuerunt partes; *Hostiæ designatio* & velut præparatio ipsius ad victimam: Deinde ipsa *oblationis Consummatio* in ara crucis.

Designationem & Præparationem victimæ circumscribunt omnes illæ Passiones quibus Christus seipsum voluntariè disposuit, ad oblationem sacrificij sui corporis; præcipuè sub vitæ finem, & proximo ante mortem die [b].

b Mat. 26 38 Ioh. 12. 27. Mar. 14. 35. Heb. 5. 7.

Harum passionum aliæ *Internæ* fuerunt, ratione animæ & affectus [c]; aliæ *externæ*, ratione corporis [d]. Substantiam enim totam humanitatis illius in pœnis luendis occupari oportuit, vt totum hominem seruaret.

c Apo. 19. 15. Esai. 53. 5. d Heb. 10. 5. Mat. 20. 28.

Oblationis consummatio, facta est in cruce per mortem. Quia vero mortis duplicis mentionem facit scriptura, naturalis, quæ est huius sæculi, & supranaturalis quæ est alterius, quæ vtraque Adamo peccatori & posteris eius fuit im-

impositā, dicente Domino, Moriendo morieris, vtramque Christus pro nobis pertulit & debellauit; *illam*, cum anima à corpore
a Ioh.19.30. ipsius separaretur a, *hanc*, cum vim illius economice à lidentem & imperentem expertus, diceret, Deus mi, Deus mi, quare dereli-
b Mat.29.46 quisti me b?

Vtrique autem Morti coniuncta fuit maledictio, Corporalis & Spiritualis per signum Crucis; vt maledictione pœnæ, maledictione culpæ nostræ expiaret Christus c. Quamuis e-
c Gal.3.13. 1.Pet.2.24. nim neutra fuerit infinita secundum tempus: vtraque tamen vt Infinita consideratur secundum quantitatem absolutam, eoque mortem, re, non tempore Infinitam, tolerauit Christus, quia Infinitatem istam temporis, quam experiuntur damnati, Infinitas meriti, satisfactionis, sacrificij & Redemtionis illius, modis omnibus superauit.

Restat vltima Exequutionis Sacerdotis Christi pars, *Intercessio*, qua, quod legis Implectione & pœnarum Persolutione Christus meritus est, nobis efficaciter applicat. Primò sistendo se Deo Patri tamquam mediatorem & satisfactorem vnicum: vt præsentationem meriti sui, & satisfactionis præstitæ, remissionem
d Heb.9.24. Rom.8.34. peccatorum, & iustitiæ restitutionem nobis conciliet d. Deinde spondendo Deo patri pro nobis obedientiam & gratitudinem: cuius sponsionis signaculum & arram, Spiritum suum nobis confert, per quem in nobis excitet studium, & vitandi peccata, & præstandi iustitiam:

tiã[a]: vltimò interpellando & orãdo pro nobis[b].

Atque hæc Intercessio Christi, vt satisfactione & sacrificio illius innititur: ita à persona tota, cuius opus est, dignitatem, & virtutem suam obtinet.

REGIVM OFFICIVM Christi est quo regnum Redemptione partum, ad ministrat Christus, & tuetur.

Cum verò Regnum Christi duplex sit: vnum *Essentiale* ex natura, quod commune habet cũ Patre & Spiritu Sancto. Alterum *Personale* ex dispensatione voluntatis, quo fungitur quâ Mediator[c], Huius Proprie respectu, Regnum hoc Officium Christi, considerari necesse est.

Consideratur autẽ duobus modis, Modo Administrationis: & Termino seu Fine illius.

Administrationis duo sunt Tempora: *Præsens* seu huius sæculi, & *Futurum* seu Alterius.

In hoc sæculo Ecclesiam suam administrat Christus duobus modis. *Legum præscriptione* & *Exequutione*.

Præscriptio Legum, tũ Externa est, qua verbi ministerio, subditis suis credendi & viuẽdi leges præscribit Christus[d]: tum Interna, qua per Spiritum sanctum, ad obedientiam mandatorum suorum corda electorum comouet, sensu præsentis gratiæ, & spe certa futuræ gloriæ suæ[e].

Exequutio duabus partibus absoluitur, *Præmiorum seu beneficiorum distributione* Gratiosa, qua, Corporalia & Spiritualia omnia ad salutem necessaria, sub certa conditione crucis, Ecclesiæ suppeditantur[f], & *Panarum iusta*

a 1. Pet. 2. 5. Rom. 8. 26.
b Mat. 20. 28. Rom. 8. 34.
c Ioh. 18. 36. Rom. 14. 17. Psal. 2. 6. Eph. 1. 22.
d Iac. 4. 12. Eph. 4. 11. 1. Cor. 12. 28.
e Ioh. 1. 16. Act. 26. 18. 1. Ioh. 1. 3.
f Ioh. 14. 18. Heb. 13. 5. Iac. 1. 5.

iusta Immissione, qua Ecclesiæ suæ Hostes, siue Corporales siue Spirituales, alios quidem reprimit & coercet[a], alios vero punit, & penitus abolet[b].

a Psal. 110. Rom 16.20.
b Ro. 7.24.25 1. Cor. 15.26

In altero sæculo Ecclesiam suam administrat Christus perfecta, tum Præmiorum[c], tum Pœnarum[d] consummatione: Cuius Antecedens erit Iudicium vniuersale; Consequens, Æternitas.

c Ro 14.17.
d Apo. 20.10 & 21.8. 2. Thes. 1.6.

Terminus & Finis huius Regni; respectu Oeconomiæ illius, erit, quando Filius, Regnum hoc Mediatoriũ, Deo & Patri traditurus, subjicitur ei, qui subiecit ipsi omnia; vt Deus sit omnia in omnibus[e]; Solemniter enim Subiectionem suam voluntariam erga Deum Patrẽ, profitebitur, singulari, & glorioſa Traditione Regni huius Oeconomici, ab ipso, secundum personam susceptI, è manu patris.

e 1. Cor. 15. 28.

Atque hæc ratio est Officij Christi *secundum species suas*. De Partibvs paucis videndum est. Officij Christi duæ sunt Partes, seu, vt vulgo vocantur, duo Christi διαθέσεις status. Hvmiliatio & Exaltatio: in his enim tota illa salutis dispensatio, & triplicis officij Christi exequutio consistit. Vnde, quæ ratio est Officij Christi, à Naturis in Persona, vel à Persona secundum vtramque Naturam, eadem est & Humiliationis ac Exaltationis illius.

Humiliatio, est Humilis ac voluntaria Christi διάθεσις in terris Conditio; qua seipsum secundum vtramque naturam demisit, vt & mori posset, & moriendo satisfacere: *Secundum natu-*

naturam diuinam demisit se, tum voluntaria personæ Subiectione, tum gloriæ & maiestatis suæ pro tẽpore corã hominibus occultatione[a]. *Secundum humanam*, tum assumptis naturæ nostræ infirmitatibus; tum denique vitæ & mortis humillima obedientia[b].

a Phil.2.7.8.

b Esai.53.5. Ioh.19.34.

Exaltatio est Christi θεάνθρωπε conditio, qua in gloriam & dignitatem, personæ mediatoris conuenientem euectus est; secundum vtramque Naturam. *Secundum naturam diuinam*, Relatè, seu manifestatione diuina, illius maiestatis quam pro tempore exinanitionis suæ occultauerat[c]. *Secundum humanam*, tum depositione seruilis conditionis suæ tum susceptione donorum, ad perfectionem & beatitudinem naturæ humanæ, supra naturam omnem, in corpore & anima concurrentium[d].

c Rom.1.4. Act.2.38.

d Phil.2.21. Eph 1.20.22 Heb.2.9.

Vtriusque status, sui sunt gradus Oppositi: *Humiliationis*, Extremæ quidem illius, seu submissionis ad mortem tres sunt Gradus, *Mors*, cum coniuncta Execratione[e]: *Sepultura*, vt mortis eius veritas rara fieret[f]. *Descensus ad Inferos*, seu voluntaria illa Christi demissio, ad sufferendum, atque eluctandum dolores Interni, quos in anima præcipuè sensit Christus, cum primò tristitia, deinde doloribus mortis vtriusque oppugnaretur[g].

e Gal.3.13. f Luc.23.53 g Act.2.24. Eph.4.4.

His opponuntur tres Exaltationis gradus: *Resurrectio*, in quâ diuinâ potentiâ; subactâ morte, seipsum ad vitam æternam suscitauit[h], *Ascentio*, quâ eadem potentia vere ac visibiliter corpus suum in cœlum beatorum transtulit[i]. *Sessio*

h Matth.28.6 1 Cor.15.4. i Act.1.9. Eph 1.21.

a Heb.1.3. Psal.110.1. 1.Cor.15.25

Sessio ad dextram Patris, qua Christus actu donatus est. plenitudine omni, tum gloriæ, tum Potentiæ[a].

DE OFFICIO CHRISTI,
PARS Ἀνασκευαστικὴ.

Distinctiones pro OFFICIO *Christi in genere.*

I.

OFFICII triplex esse solet significatio, vel enim operam seu factum, cui alicui inseruimus, vel actionum virtutis, vt definit Cicero, vel denique actionum & operam, ad quam quis ordinatus, ritè etiam eadem fungitur, significat. Atque in hac vltima significatione sumi debet, cum agitur de officio Christi.

II.

In officio Christi tria distinguenda sunt: *Vocatio*, quam in persona habuit immediatè à Deo. *Dona* ex vocatione, quæ mediatè accepit in humana natura. *Administratio*, quæ persona fuit secundum vtramque naturam, quæ tria vnctio externa in vet. Testam significabat.

III.

Mediator Christus dicitur, tum quâ Medius, tum quâ Medians: Medius Persona, Medians Officio.

IV.

Officium, vel Substantia sua, vel Modo exequutionis distingui debet. Substantia, secundum partes

partes & ſpecies ipſius. Modo, qui & perſonam & Naturas in perſona reſpicit. Vnum enim eſt agens, vna actio reſpectu perſonæ, duæ tamen δυνάμεις agentis, & duo actionum principia reſpectu Naturarum.

Pro officio Chriſti Prophetico.

Chriſtus Propheta dicitur triplici ratione: *Perſonæ*, Eſt enim ſapientia Patris non ſubiectiuè in Patre reſidens, ſed χαρακτηριστικῶς illam in perſona exprimens. *Officij*, quia Eccleſiam docuit immediatè, vel ſecundum alterutram naturam in Veteri, vel ſecundum vtramque in Nouo Teſtamento. *Miniſterij*, mediatè docens homines per homines, ſiue ordinariè ſiue extraordinariè ad docendi munus vocatos.

Pro Officio Sacerdotali.

I.

SACRIFICII vocabulum vel Analogicè ſumitur in Scripturis, vel propriè. Analogicè ſeu per quandam ſimilitudinem ſignificat pietatis & charitatis officia: Proprie vero vel actionem ipſam coniunctam cum ſacris ceremonijs, vel res quæ offeruntur.

II.

Sacrificia alia ſunt Typica vel ſignificantia, alia non Typica ſeu ſignificata: &, vtraque vel ἱλαστικὰ ſeu propitiatoria, vel εὐχαριστικὰ ſeu gratiarum actionis.

III.

Leholam Hebræorum, non temporis infinitatem, sed illius durationem, alias longiorem, alias breuiorem pro subiecta materia significat.

IIII.

Christi sacrificium, aut propriè consideratur aut Symbolicè. Propriè vnicum est, veritate & efficacia, sacrificium illud corporis Christi in cruce: Symbolicè apud veteres Ecclesiæ doctores, Eucharistia sacrificium aliquando dictum fuit.

V.

Oblatio Christi vnica est, non tantum specie, sed etiam numero, quia nulla potest esse oblatio Christi, nisi intercedente morte ipsius. Eoque falsa est sacrificij, in cruentum & incruentum distinctio.

Pro Officio Regali.

Regnum Christi vel figuratè sumitur vel propriè: Figuratè, tum instrumentaliter pro Euangelio, tum subiectiuè pro Ecclesia: Propriè pro dominio illo Christi œconomico, quod, Regnum Gratiæ Inchoatione sui in hoc sæculo, & Regnum Gloriæ, consummatione in altero dicitur.

Pro STATV *Humiliationis Christi.*

I.

SVBIECTIO alia Naturalis est, alia Oeconomica, atque hac non destruitur Æqualitas: quia æquale, vt inquit Cyrillus, æquali subiici

iici dicitur, dispensationis modo.

II.

Obedientia, non est actus naturalis naturæ, sed voluntarius Personæ secundum vtramque naturam. Non valet autem consequutio ab vna specie, ad alteram, ab actu naturę, ad actum Voluntatis.

Pro STATV *Exaltationis.*

I.

ALIA est Maiestas τὴς οὐσίας τῦ λόγυ, alia τὴς οἰκονομίας.

II.

Oeconomia duo complectitur; vnum, Mysterium vnionis; alterum Mysterij finem; Ratione vnionis, Maiestas, proprie naturam assumptam respicit: Respectu finis, Christo competit secundum vtramque naturam.

III.

Exaltatio non naturæ abolitio est, sed perfectio, & omnis alia potestas data Christo, est officij, non diuinæ essentiæ.

DE VOCATIONE HOMINVM AD SALVTEM,

PARS Κατασκευαστικὴ.

POstquam de PRINCIPIO & OECONOMIA Redemptionis nostræ, id est de Persona & Officio Christi actum est: de APPLICATIONE ILLIVS, quæ quidem hic fit, ex instituto ordine agendum est.

APPLICATIONIS autem huius veritas, tribus modis dignosci debet. GRADIBVS suis, MEDIIS externis, & SVBIECTO GRADVS secundum quos Redemtionis beneficium in tempore Deus nobis applicat, præcipuè duo sunt: VOCATIO & IVSTIFICATIO.

VOCATIO est primus ex parte Dei applicationis Gradus; dicta idcirco ab Augustino, Ingressus ad salutem, & primus ad finem aditus.

Huius vocationis varia solet esse notio, prout vel ex modo vocandi, in *internam* & *externam*, vel ex varia causæ efficientis conditione, in *communem* & *singularem*, vel denique ex effectu vocationis, in *efficacem ac non-efficacem* distinguitur.

VOCATIONIS autem, siue Internæ, Singularis & Efficacis; siue Externæ, Communis, & inefficacis, duplex respectus est, vnus quidem *absolutus in se:* alter verò *coniunctus* in Vocatione Ordinaria. Vocat enim Deus, foris communiter, intus singulariter, & coniunctim vtroque modo ordinariè.

De vtroque secundum seriem causarum ordine agendum est.

EXTERNA & communis VOCATIO, vt de illa primo loco dicamus; est Actio Dei gratiosa, qua homines, sermone, signo, & opere, ab infidelitate ad fidem euocat, tum vt ad salutis communionem fideles disponantur, tum vero vt alij euicti de oblata à Deo gratia, fiant inexcusabiles.

Causa

Causa vocationis huius, EFFICIENS est Deus, quia tum ab ipso fit propriè, si *Principium* verum ipsius attenderis: tum ab ipso est primò, per se & principaliter si ad *Media* respexeris, quæ Deus ad vocationem hominum voluit occupari siue extra ordinem, siue ordinariè.

Principium est φιλανθρωπία illa Dei, qua tanquam animarum amans, & Saluator hominũ [a]; beneuolentia sua omnes homines prosequitur, & gratiam suam communiter ipsis offert.

a Sap. 11. 27. 1. Tim. 4. 10.

Offert autem (vt de *Medijs* dicamus paucis) Sermone, Signis, & Operibus: quæ omnia instituentis Dei respectu communia sunt. *Sermone* siue *extraordinario*, qualis fuit Primis Ecclesiæ temporibus [b]; siue *Ordinario* seu Canone vniuersali fidei ac vitæ, quem Scripturam appellamus [c]. *Signis*, quibus ad sermonem adhibitis, authore Domino, Gratia ipsius obsignatur visibiliter [d]. *Operibus*, siue Ordinarijs siue Extraordinarijs, siue in Ecclesia, siue extra Ecclesiam.

b Num. 12. 8. Hebr. 1. 2.

c Ephes. 2. 17 Rom. 10. 14.

d Rom. 4. 11. Gen. 17. 11.

MATERIA seu subiectum vocationis huius sunt omnes homines, absque discrimine nationum, Sexuum, aut statuum, ad quos scilicet Media, de quibus dictum est, pertingunt. Omnes enim Deus vult saluos fieri; tum communiter, quia de omnibus quosuis, seu ex Singulis Generum, Genera singulorum ad salutem euocat, tum quia Gratia Dei vniuersis exposita est, non Efficacitate vniuersa Christi, sed signo & potentia communi [e].

e Mat. 22. 14. 1. Tim. 2. 4.

FORMA est externa illa euocatio, quam mediatè Deus efficit verbi ministerio, Sacramentorum vsu, ac denique Ecclesiæ, membrorumque illius in se, & inter se communione, quæ omnia sensibus externis percipiuntur [a].

a Heb.4.12.

Finis duplex est. Proprius, tum reproborum ἀναπολογία, tum electorum salus. Remotus verò Gratiæ Dei manifestatio [b].

b 1.Cor.15.28.

Atque hæc externa & communis vocatio est.

INTERNA & singularis, est Actio Dei gratiosa, qua electi ab æterno, suo tempore, ex Dei beneplacito, propter meritum Christi, per S. Sanctum, intus informantur, ad perceptionem & communionem gratiæ Dei, propter salutem ipsorum, & misericordiæ diuinæ gloriam.

CAVSA EFFICIENS huius vocationis Deus est, secundum *Principium Singulare*, & *Media Ordinaria ipsius*.

Principium, est Gratia Dei salutaris propter Christum. Duo enim Principiū hoc, vocationis internæ singulare, à communi vocationis externæ distinguunt: *Dei beneplacitum*, tanquam illius causa προηγουμένη, & *Christi λύτρον* tanquam illius meritoria. Ex vtroque coniunctim, exsurgit singularis ille, & beneuolus voluntatis diuinæ affectus, quo nos adoptatos in filio dilectionis, complectitur amore infinito suo, gratiam suam salutarem nobis applicando [c].

c Eph.2.17.19. Ioh 15.19. Act 16.14. Ephe.1.5.

Vocationis huius Internæ seu Applicationis *Media* Interna duo sunt, *Spiritus* & *Fides*.

Spi-

Spiritus, qui vocat efficacia causæ[a]: *Fides*, Vocationi respondet, Officio instrumenti[b]. Est autem vt Donatio Spiritus, ita & collatio Fidei, donũ Dei singulare. Posse quidem vtrumq; habere, Naturæ est, habere autem, est Gratiæ.

a 1.Ioh.2.27 Ezech.11.19
b Rom.9.30 2.Cor.1.22.

MATERIA vocationis hujus Internæ; sunt ij, quos præcognouit Deus, & prædestinauit ad vitam: Nam quos prædestinauit, eos Vocauit[c]. Nec aliorum vocatio hæc Interna, & Efficax esse potest, quam, quorum ex instituto gratiosæ Prædestinationis Dei, in Christo, est & Spiritus Christi, & Fides saluifica: alij omnes excluduntur. Nam licet Impijs aliquando detur non tantum percipere sensibus, ea quæ sunt ministerij externi, Sed per ea quodammodo intus animo, id est Intellectu & Voluntate, affici: tamen Interna hæc salutaris, de qua agimus, vocatio, eos tantum afficit ad salutem, qui viuunt, mouenturque à Spiritu Christi, & Fide Christo ad vitam æternam Insiti sunt[d].

c Rom.8.30

d Ioh.17.20. Ephes.2.20. 21.22.

FORMA vocationis huius, est Interior illa Fideliũ Informatio per Spiritum, & Fidem, ad communicationem gratiæ & gloriæ Dei.

Informationis huius duæ sunt partes, vna quidem, Actio illa efficax Spiritus Dei in nobis, & secundum illam totà hominis Renouatio, quæ vulgo *Regeneratio* in Scripturis dicitur[e]: altera est, *actus Fidei*, quo, & mens illuminatur, vt cognoscat, & voluntas sanctificatur, vt apprehendat Deum in Christo[f].

e 1.Ioh.3.9. Rom.8.1.

f Colos.1.2. Rom.14.14.

FINIS Remotus quidem est Dei gratiosè vocantis Gloria: Proximus vero, Hominis efficaciter

ficaciter vocati salus,

Atque hæc ratio est vocationis Externæ & Internæ *Absolutæ*; quarum hæc Beneplaciti, & Electionis est: Illa Signi: hæc efficaciæ: illa Significationis, ad efficaciam spectantis: hæc Electorum propria: illa communis omnium.

Quia vero, hæc ab illa in electis, in ordinaria ad salutem via, separari non potest aut debet, ex vtraque exlurgit Vocatio quam *Coniunctam* diximus, in negocio salutis nostræ, & ordinaria & efficax.

EST autem, actio efficax & gratiosa Spiritus Sancti, obsignantis in Electis, veræ fidei instrumento, verbi Prædicationem, vsum Sacramentorum, Christi Ecclesiæque illius communionem, ad salutem illorum, & gloriam æternam Dei.

Huius Vocationis, CAVSA EFFICIENS Deus est. Est enim vocatio hæc, Doni, non meriti, Gratiæ non Naturæ, Deo vocante quos vult atque iterum quos vult, aut non vocante, aut non vocante efficaciter: vtrumque vero liberè, absque προσωποληψία, aut culpa.

MATERIA, sunt homines electi, in quibus solis, solum, vocatio hæc est efficax singulariter, & salutariter: licet communiter, non electi ac hypocritæ, tùm Externæ vocationis vsum percipiant, tum Internæ etiam sensum præ se ferre videantur. Vnde effectum vocationis horum gustus duntaxat[a] Illorum vero, verbi cum fide συγκρασις in Scriptura nominatur[b].

a Heb. 6. 5.
b Heb. 4. 2

FORMA, est diuinus ille Informationis diui-

nus

næ Modus, *Internus* & *Externus*, quorum hic verbi prædicatione, vſu ſacramentorum, reliquiſque tum priuatis tum publicis fidei ac Charitatis exercitijs abſoluitur; *ille* vero Spiritus & fidei communione ſalutari.

FINIS eſt, tùm Dei miſericordis Gloria, tùm Hominis è miſeria ſua, ad Gratiam & Gloriam ſpiritualem, euectio & tranſlatio.

DE VOCATIONE HOMINVM AD SALVTEM,

PARS Ἀναγκαία.

Diſtinctiones pro EFFICIENTE.

I.

ALIA eſt vocatio vniuerſalis, quæ vulgo *Naturalis* dicitur, alia Politica ſeu Eccleſiaſtica, quæ *perſonalis*, alia demum *ſalutaris*, de qua hoc loco agitur. Harum tamen omnium Cauſa efficiens primaria, vna eſt, Deus.

II.

Vocatio, alia eſt *Immediata*, alia *mediata*, *extraordinaria* & *ordinaria*. Illam Deus efficit per ſe, hanc, per hominum miniſterium,

III.

Cauſæ efficientis vocationum omnium duplex ſolet eſſe notio. Vna ſecundum principium, altera ſecundum inſtrumentum. Illa propriè Cauſæ, hæc concauſæ eſt, & dicitur.

Pro

Pro MATERIA, *contra vniuersalitatem gratiæ efficacis.*

I.

GRATIA & beneuolentia Dei, vel spectatur communiter, qua Deus omnibus benefacit, vel singulariter qua benefit electis in Christo. Gratia vero hæc vniuersalis, & communis, à singulari & particulari, & vniuersalia communiaque beneficia in omnes, qua homines sunt, à singularibus in homines, qua Christiani sunt, discerni debent.

II.

Inconsequens est, à communi ad singularia omnia affirmatio, nec enim *omnes*, vniuersaliter de singulis hominibus; sed communiter de quibusuis debet accipi.

III

A communione naturæ, ad communicationem gratiæ, non valet argumentatio.

IIII.

Virtutis actiuæ quantitas, ex quantitatis effectu cognosci debet.

V.

Efficacitas vocationis alia externa est, alia interna. Externa est; cum ministerio externo tanguntur & mouentur sensus & res corporeæ. Interna cum tanguntur & mouetur Intellectus & voluntas. Vtraque efficacitas iterum duplex est, vna Salutaris, electorum propria, altera non salutaris, sed præuia secundum ordinem communem, & advocatos communiter spectans.

LOCA.

LOCA.

1. Ad Timoth. 4. 10. Resp. Beneficia Christi in hominibus conseruandis duobus gradibus distincta sunt. Vnus communis est omnibus, alter singularis est Ecclesiæ, & fidelibus salutaris. Adde quod seruandi verbum nunc beneficia Dei in hac vita, nunc æternum illud beneficium salutis σωτηρίας significat.

Ezechielis 28.26. Deus bifariam, *Deus hominum* appellatur, aut vniuersè communiterque secundum naturam, aut particulariter secundum gratiam, qua elegit ipsos ab æterno in Christo.

Pro Causa Formali.

I.

VOCATIO vna est per gratiam naturalem, altera per gratiam supranaturalem.

II.

Quæ vocatio per naturalem gratiam omnibus communis est, fit à Deo secundum *esse naturæ*, vt loquuntur Scholastici, communiter. Quæ vero vocatis obtingit supranaturaliter, duabus partibus concluſa est: Nam & à vocante procedit communiter, & ad vocatos pertinet singulariter.

III.

Formale vocationis à Materiali illius distingui debet, quod illius subiectum sit particulare: Huius vero omnes spectet æqualiter.

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO.

PARS Κατασκευαστικὴ.

SECVNDVS APPLICATIONIS, quæ quidem hîc fit ex parte Dei, GRADVS est IVSTIFICATIO.

IVSTIFICATIONIS huius veritatem duobus modis explicare necesse est, *Vocabulorum*, quorum in doctrinæ huius explicatione vsus est, annotatione: deinde *Rei ipsius* secundum Causas omnes definitione.

Vocabula, quorum Homonymia, ne difficultatem in ipsa doctrina pariant, tollenda est; præcipuè duo sunt, IVSTITIA & IVSTIFICATIO,

IVSTITIA, (quæ quidem Personæ est,) duobus modis cõsiderari solet, vno, modo *qualitatis* seu *inhærentiæ*, & est Obedientia Legis à nobis ipsi præstita: altera *Relationis* seu *Imputationis*, & est, Gratiosa alienæ Obedientiæ, pro nobis præstitæ, donatio: Illa, Legis seu operum. Hæc, Euangelij seu Fidei Iustitia vocatur, illa in persona est subiectiuè; hæc personæ est per gratiam Imputationis. Vtramque distingui necesse est, quia diuersus vtriusque vsus est: Huius in foro priuato, & interno conscientiæ coram Deo: Illius in foro publico & externo, professionis Christianæ coram hominibus.

IVSTIFICATIO generatim considerata, est ipsa Iustitiæ applicatio, speciatim verò,

si de *Iustitia inhærente* agitur, est effectio cuiusdam sanctitatis habitualis in homine, quæ significatio maximè inusitata & impropria est. Si, de *Iustitia imputationis*, est gratiosa alienæ iustitiæ per fidem imputatio, eoque hominis coram Deo absolutio.

Atque hanc significationem, vt maximè propriam & vsitatam, confirmat & communis linguarum consuetudo, & Sacræ Scripturæ Idiotismus.

Communis linguarum consuetudo. Nam vt Græcis δικαιῶν, extra Iustificationis doctrinam duas habet significationes: Vnam, publico iudicio aliquem iustum censere & pronuntiare: alteram, Causa dijudicata, aliquem iudicialiter supplicio afficere: ita eundem esse verbi vsum apud Hebræos, duo euidentissime probant. Primò directa & maxime frequens in iudicijs, causis, & actionibus forensibus vocis illius vsurpatio a. Secundò manifesta condemnationis & Iustificationis tanquam contrariorum Antithesis b. Atque in hac significatione, verbum Iustificare tria plerumque significat: Accusatum absoluere c, Pro iusto censere, Iustificato tribuere testimonium, & præmia quæ iustis & innocentibus debentur.

a 2. Reg. 15. 4 Deut. 25. 1. Esai 43 9
b Pro. 17. 15 Esai. 50. 8. Rom 8. 33. 34.
c Esai. 5. 23. Exod. 23. 8. Luc. 7. 29

Scripturæ idiotismum si expectes, per processum Iudicialem, totam Iustificationis doctrinam proponit. Probant, tum Phrases loquendi quibus Scriptura vtitur: tum tota illa salutis nostræ, quam describit ratio ac series,

Phrases

Phrases quibus in hoc articulo vtitur Scriptura, aliæ per negationem probant, eum qui iustificatur non condemnari, non iudicari, non imputari illi peccata, &c.[a]: aliæ per affirmationē probant, illum iustum constitui, liberari ab accusatione, & condemnatione Legis: imputari illi iustitiam, &c.[b].

a Rom. 4. 3. 7. 8. 1. Ioh. 1. 9.

b Rom. 5. 18. & 8. 33.

Tota salutis series ac ratio duobus velut gradibus absoluitur. Cognitione Miseriæ nostræ, & fiducia Misericordiæ diuinæ. Miseriæ, tres sunt partes: *Offensa, Reatus, & Pœna*. Misericordiæ tres oppositæ: *Remissio Culpæ, Absolutio à Reatu, Liberatio à Pœna*. Totus ille à Miseria ad Misericordiam Dei processus, Iustificatio dicitur significatione forensi.

Est ergo propriè IVSTIFICATIO, Actio Dei Iudicialis gratuita, qua electos accusationi & maledictioni Legis in seipsis obnoxios, per fidem, propter Christum, Imputatione Iustitiæ illius, iustos iudicat, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, & ipsorum salutem[e].

e Rom. 3. 24. 25.

Hæc definitio, vt recte intelligatur, causas quæ ordine in ipsa notantur, duobus modis cōsiderari necesse est, prout Iustificatio sumitur vel *actiuè* respectu Dei, qui iustificat, vel *passiuè* respectu Hominis qui iustificatur.

CAVSA EFFICIENS *Iustificationis, Actiuè sumtæ*, Deus est, Pater in Filio per S. Sanctum[d]. Nam eius est, Reum absoluere, cuius iustitiâ reus constituitur: eius iustum pronunciare, cuius voluntas iustitiæ regula est: eius denique Iudicium ferre vitæ seu mortis,

d 2 Cor. 5. 19 1. Cor. 6. 11.

qui

qui Natura, Iure, & Officio, supremus Iudex est[a].

a Esai. 59. 1. Psal. 51. 4. Esai. 41. 21.

Huius efficientis, Causa Impulsiua duplex est, *extrinseca* & *intrinseca*. *Intrinseca* est sola Patris misericordia[b], cùm ratione εὐδοκίας nos prædestinantis in adoptionem filiorum[c], tum ratione Oeconomiæ, & dispensationis, & filium in hunc finem ordinantis, & beneficium à filio partum nobis applicantis[d]. Atque hæc Gratia est, quæ in Scripturis χάρις χαρισμάτων, in Scholis *Gratia Gratum faciens*, & *gratis dans* vulgo appellatur, opponiturque perpetuò operibus, quæ dona ex gratia, seu *gratiæ gratis datæ* vocantur[e], quia non à nobis, aut operibus, sed in se & à se primam iustificationis Causam sumsit Deus, propter imperuestigabiles diuitias gloriæ gratiæ suæ.

b Rom. 3. 25. c Ephes. 1. 5. d Rom. 3. 25. Coloss. 1. 12. e Eph. 2. 8. 9. Tit. 3. 5.

Vnde nulla ex nobis dispositio & præparatio esse potest, quæ formæ Iustificationis inducendæ necessaria fingitur à Pontificijs[f]. Licet enim duo sint præcipui præparationis gradus, si non tempore, saltem natura, iustificationem præcedentes, sensus miseriæ nostræ, & confusa misericordiæ Dei cognitio: tamen nihil horum facit ad rationem Causæ efficientis, non tantum de Condigno, sed ne quidem de Congruo.

f Ephes. 2. 4.

Externa impulsiua Causa, est Christus διαβραβεύων, tum meriti, tum efficáciæ ac operationis illius respectu.

Meriti, quia tum obediendo, tum patiendo, vita & morte sua, Iustificationis beneficium nobis

nobis acquisiuit[a].

a Esai 53.3. 1.Tim.2.6. 1.Ioh.1.7. Ro.8.30.31.

Efficacia quia acquisitum beneficiũ applicat efficaciter, tum offerendo illud per verbi prędicationem, tum conferendo, spiritus sui operatione interna & efficaci[b].

b Rom.1.16 2.Cor.5.19.

Ex parte Hominis, *Iustificationis passiuæ*, quæ CAVSA EFFICIENS est ac dicitur reductiue, tota est Instrumentalis, & Fides est, per quam non propter quam, Iustificari dicimur, tum ratione sui Correlatiui, tum Contrarij, Legis & bonorum operum.

Correlatiui, quia tota Fidei qua iustificans est, forma in Relatione consistit, nec qua qualitas, sed qua relatiuè in correlato suo applicando occupatum est, nos iustificare dicitur[c].

c Gal.3.8. Heb.2.4. Rom.1.17.

Contrarij, quia quæ bona opera in persona iustificati requiruntur, à merito Iustificationis excluduntur, prout, in loco de Fide, & operibus dicetur fusius[d].

d Rom.5.15. & 11.6. Eph.2.8.9.

MATERIA Iustificationis, quæ quidem *actiuè* ex parte Dei consideratur, duplex est, prout Iustificationis duæ sunt partes, *Remissio peccatorum* & *Obedientia Christi*.

Nam quia peccato, & Mortis obligationem & Iustitiæ ac vitæ priuationem eramus assequuti, vtrumque fuit ad nostram Iustificationem opus, & peccatum aboleri per *Remissionem*, vt à morte quæ stipendium est peccati liberaremur: & *Iustitiam* communicari, vt vitam assequerentur[e].

e Dan.9.24. Gal.3.13.

Remissionis peccatorum nomine intelligimus, actum illum Dei gratiosum, quo propter meritum

ritum & ſatisfactionem Chriſti, culpam, & pœnam perfectè condonat ac remittit [a]. Huius fundamentum eſt Iuſtitia Chriſti, non Eſſentialis & diuina [b], nec proprie habitualis quæ ipſius originalis Iuſtitia fuit, noſtræ Originali Iniuſtitiæ ſeu Natiuæ labi oppoſita; ſed Actualis, quæ eſt effectum vtriuſque, nempe Obedientia perfectiſſima Patri præſtita; tum *Satisfactione pro peccato; tum legis impletione*. Duplex enim eſt Chriſti Obedientia, duplici hominis poſt lapſum obligationi, oppoſita *Actiua* pro Culpâ, *Paſſiua* pro Pœna, ſeu vtraque pro vtrâque.

a 2. Cor. 5. 19. Rom 8. 1. Rom 4. 7.
b Eſai 42. 8.

Obedientia Actiua, eſt perfecta legis diuinæ præſtatio, quam ad vltimum vſque legis apicem plenè & perfectè Chriſtus exequutus eſt [c]. Huius neceſſitatem in opere Redemtionis ac Iuſtificationis noſtræ tria probant. Iuſtitia Dei, Officium Mediatoris, & Salus noſtra.

c 1. Cor. 1. 30. Rom. 5. 19. 2. Cor. 5. 21.

Iuſtitia Dei, Siue enim Naturam ipſius ſpectes, qua infinitè iuſtus eſt, non debuit hominem ſeruare, quam per hunc modum Iuſtitiæ [d]; ſiue nobis proprie, ſiue gratis imputatæ: ſiue patefactam in Lege voluntatem, quæ immota Iuſtitiæ regula eſt, nullam ad vitam viam aliam præſcripſit quam Obedientiam.

d Prou. 17. Exod. 20. 5.

Officium Chriſti Mediatoris. Nam cum tanquam Fideiuſſor noſter, voluntaria diſpenſatione teneretur ſubire, ac præſtare, quæ ipſi ſubire ac præſtare tenebamur neceſſariò; non tantum mortem ſubire pro nobis; ſed etiam

Legem

Legem præstare necessarium fuit, quia ad vtrumque tenebamur [a].

[a] Rom.8.3. Gal.4.45.

Salus nostra. Nam cum duo ad illam requirerentur, Liberatio à morte, & Donatio vitæ, illam, Peccati expiatione, hanc, Dono iustitiæ, obtineri opus fuit [b].

[b] Rom.3 24. 25.

Hinc Christus, Finis seu perfectio legis dicitur ad salutem omni credenti: & Actualis Christi obedientia qua iusti constituimur, actuali inobedientiæ Adami qua constituimur peccatores, in Scriptura opponitur [c].

[c] Rom. 10.4 Rom.5. 19. 20.

Adde quod in ipsa Obedientia passiua, Actiua tamen principatum sibi iure vendicat. Nec enim passio simpliciter iustificat, sed qua est passio Christi voluntariè sistentis se Deo Patri per Spiritum æternum: vnde idem Christus offerendo se, vt victima passus est; vt sacerdos egit.

Passiua Obedientia Christi, est Christi victima seu Passio, *Dei, Christi mediatoris, & nostri* respectu, maxime necessaria. *Dei*, quia iustitiæ ipsius per pœnam satisfieri oportuit. *Christi*, quia fideiussor noster debitum nostrum exsoluere debuit. *Nostri*; quia nos à morte per mortem liberari necessum fuit [d].

[d] Heb.10.14 Rom.4.25. 1.Pet.1.19. 1. Ioh 1.7. Gal.3.13.

IVSTITIAE huius subiectum, solus Christus est in quo, subiectiuè inhæret illa Habitualis Iustitia, & à quo emanauit illa, tum Actiua tum Passiua Obedientia, quam, *actualem Iustitiam* diximus.

MATERIA Iustificationis quæ quidem *passiuè* consideratur, sunt homines electi [e]. Huius Mate-

[e] Rom.8.33.

Materiæ duplex ſolet eſſe notio. Vna ſecundum Naturam, altera ſecundum Gratiam ſupranaturalem. Secundum Naturam peccatores ſunt, ac proinde Legis accuſationi & maledictioni obnoxij [a], ſecundum Gratiam ſupranaturalem credentes ſunt, ſeu per fidem Chriſto inſiti [b].

a Rom. 3. 8. 10 Tit. 3. 3. Epheſ. 2. 12. 13.
b Rom. 8. 30 Epheſ. 5. 30. Ioh. 17. 20.

FORMA Iuſtificationis, *Actiuè* ſumtæ, eſt Actualis Iuſtitiæ Chriſti, gratuita imputatio, qua meritum & Obedientia Chriſti nobis applicantur, vi communionis arctiſſimæ, qua ille in nobis, & nos in illo.

Forma itaque conſiſtit in Relatione; in qua vnitas, quæ exſurgit, inter vtrumque terminum, Formæ rationem habet, & conſiſtit in emanatione & habitudine magis, quam inhæſione: Hinc etiam relatio dicitur non eſſe eius, ſed eſſe ad aliud. Fit autem tota lure donationis, & Acceptationis Meritorum obedientiæ Chriſti. Eſt enim Iuſtitia hæc imputata, Gratia, non Natura, Communicatio beneficij, non Poſſeſſio realis, aut habitualis, Iuſtitiæ vel ſubſtantiæ Chriſti; denique Imputatio, non patibilis qualitas, inhærens nobis.

In hac imputatione duo conſideramus, *Veritatem illius in ſe*, & *Modum veritatis illius in nobis*.

Veritatis in ſe duo ſunt Termini. *Iuſtitia & illius Imputatio*. Inter hos relatio eſt; quia nec in alium finem perfectam iuſtitiam Chriſtus habet, quam vt imputet; nec aliud imputat quam iuſtitiam; nec aliter iuſtitia noſtra eſt quam imputatione.

Modus

Modus veritatis illius in nobis, in Scriptura, duplici ratione circumscribitur; quarum Prior, nos docet, nos non in nobis, aut iustitia nostra, iustos esse; sed iustitia Christi, quæ extra nos existens, nostra fit, iure donationis: Hinc dicimur effici Iustitia Dei in ipso [a] Altera nos docet, nos habere iustitiam, sicut Christus habet Peccatum nostrum; habet autem non subiectiuè, siue inhærens, sed per imputationem; hinc Antithesis illa instituta ab Apostolo loco citato, Christi, quem Deus fecit peccatum pro nobis, & nostri, qui efficimur iustitia Dei in ipso.

a 2. Cor. 5. 21

Atque secundum hanc iustificationis FORMAM vna est & æqualis in omnibus Iustificatio: licet in varijs, pro mensura fidei apprehendentis, aliter atque aliter modificetur.

Non ergo Forma Iustificationis, est habitualis sanctitas nobis inhærens. Licet enim Iustificatio & sanctificatio conueniant in *Causis Efficientibus*; (tum Dei Gratiâ, tum Christi merito:) in *instrumentali*, Fide, illius quidem, percipiendo, huius vero, efficiendo: denique in *scopo* & *fine*, tendunt enim ad vnum finem; Sed illa vt Causa, hæc vt via, tamen plurimum differunt; & secundum *substantiam* & secundum *adiuncta*.

Secundum *substantiam*, id est, secundum Causas omnes. *Materia* enim Iustificationis est Obedientia Christi, Sanctificationis obedientia nostra, illa perfecta, hæc imperfecta. *Forma* illius quidem, est Imputatio Obedientiæ

dientiæ Christi: Huius vero, animi nostri ab impuris qualitatibus ad puras reductio. *Efficiens* proximum, Iustificationis internum nullum est; huius vero voluntas hominis, actionum humanarum Principium. *Finis* illius, pax Conscientiæ, huius verò publica de nostri cum Deo reconciliatione, testificatio.

Secundum *adiuncta*: differunt enim primò *modo efficiendi*: illa efficitur iure donationis, hæc modo alterationis. Secundo *effectu*. Illa nos absoluit in iudicio Dei, hæc non. Tertio demùm *duratione*, illa cum hac vita, finem habebit, hæc in æternum duratura.

FORMA Iustificationis, *passiuè* sumtæ, est Fidei applicatio, hinc enim dicimur saluari per Fidem, Fide, ex Fide, de qua in Causa instrumentali dictum est [a].

FINIS Iustificationis *Actiuè* sumtæ, est gloria Dei, in admirabili temperamento iustitiæ & misericordiæ [b]. Iustitiæ, quod filium voluerit satisfacere; misericordiæ, quod satisfactionem filij nobis voluerit imputare.

FINIS Iustificationis *passiuè* sumtæ, est pax Conscientiæ, & salus æterna [c].

a Mar. 5. 39. Rom 3. 7. Gal. 2. 16. Eph 2. 8 9. Tit. 3 5

b Eph 1. 5 6. 7. Rom. 3 26.

c Rom. 3. 26. Tit. 3. 7.

DE

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO,

PARS ἀναστατικὴ.

Distinctiones pro definitione ὑποτυπώσεως.

I.

IN eruenda vocis interpretatione non ἔτυμον, aut vocis compositio simpliciter, sed vsus & proprietas spectanda sunt.

II.

Vsus vocabuli Iustificationis duplex esse solet. Vel enim sumitur Iustificatio, propriè; vel significatione à specie ad genus translata, per μετάληψιν, significat ea omnia, quæ Iustificationem consequuntur.

III.

Duo sunt ordines testimoniorum de Iustificatione: Vnus *Legalis*, alter *Euangelicus*. Testimonia Iustitiæ Legalis, docent qualis Iustitia consistat coram Dei tribunali; Testimonia Iustitiæ fidei, seu Euangelica, alia pertinent ad Causas Iustificationis; alia ad externa signa & testimonia Iustificati, alia denique ad Comprobationem operis ex fide facti.

Loca quibus probat Bellarminus IVSTIFICARE *significare Iustum facere. cap. 3. lib. 2. de Iust.*

Roman. 5. vers. 16. 18. 19. Resp. Primò Manifesta est oppositio condemnationis & Iustificationis.

tionis. Oppoſita autem, cum ſint ſub eodem genere, Iuſtificationem non minus quam condemnationem, actum iudicialem eſſe neceſſe eſt. *Secundò*, Vt nec condemnatio vnquam extra ſignificationem forenſem; ita nec Iuſtificatio, quæ coram Deo fit, pro effectu gratiæ infuſæ vnquam ſumitur. *Tertiò*, Iudicium Dei ſecundum veritatem eſt, non minus dum nos iuſtos pronuntiat propter iuſtitiã Chriſti imputatam, quam dum nos iuſtos facit vi virtute Spiritus ſui. Vtrumque verè, licet variè, illud perfectè, hoc imperfectè.

Danielis 12. 3. Reſp. Iuſtificatio, in forenſi ſignficatione, duplex eſt, *Immediata* vna, altera *mediata*; de hac loquitur Propheta, qua Deus per miniſtros abſoluit peccatores, ſicut per eoſdem ligat, & retinet peccata. Eſt autem figura, in Scriptura familiaris, attribuere Inſtrumento, quod Cauſæ eſt.

Eſai. 53. 11. Reſp. Primò, verbum Hebreum in tertia coniugatione ſignificat iuſtum pronuntiare, prout in prima, ſignificat iuſtum eſſe poſitiuè. 2. Nec textus habet (in ſcientia ſua) ſed ſui, quo non modus Iuſtificationis, ſed Inſtrumentum indicatur, ſeu Fides, per periphraſin explicata. 3. Aliud eſt agere de Chriſti iuſtitia quæ illi ſubiectiuè inhæret, aliud quâ nobis per gratiam imputatur. 4. Satisfactio Chriſti cauſa eſt Iuſtificationis meritoria, quæ noſtra tantum fit beneficio imputationis.

Apocalyp. 22. 11. Reſp. Iuſtificatio in fo-

rensi significatione duo denotat, prout duplex est forum; vnum *Conscientiæ* coram Deo, alterum *Sanctimoniæ* coram hominibus. Denotat enim absolui, vel coram Deo, iustitia fidei, vel coram hominibus, iustitia Operum. In primâ significatione sensus est. Qui iustus est iustificetur adhuc, continuam scilicet peccatorum suorum remissionem, & iustitiæ Christi imputationem sibi applicando: in secunda sensus est, Qui iustus est, iustificetur adhuc, id est, qui iustitiæ studet, ad iustitiam & sanctimoniam magis ac magis informetur. Vtrouis modo, manet significatio forensis.

1. Corinth. 6. 11. Resp. *Primò* est fallacia coniunctionis. Nec enim tria ista coniunguntur tanquam Synonima, sed tanquam subordinata, & triplici antegressæ accusationi opposita. Sordibus enim de quibus egerat, opponit ablutionem; Contaminationi, id est, iniustitiæ, fornicationi, auaritiæ, sanctificationem. Reatui vero, quem exprimit his verbis *Regnum Dei non hæreditabunt*, opponit Iustificationem. *Secundò*, agit de iustificatione quæ fit in nomine Christi, non autem per Infusionem quandam aut iustitiam inhærentem.

Pro Efficiente Iustificationis passiuæ, *seu instrumentali* Actiuæ, *contra Bellarminum, à decimotertio cap. lib. 1. de Iustif. ad 19.*

FIDEM non solum iustificare, quinque argumentis probat Bellarminus,

Pri-

Primum eſt, *quod Patres & Scripturæ tribuant vim iuſtificandi, non ſolum Fidei, ſed etiã alijs virtutibus, cap. 13.*

Diuſtinctiones pro ſerie argumentorum illius.

I.

Fides in Scripturis, & apud Patres duobus modis conſiderari ſolet. Vno quidem propriè ſecundum naturam fidei ſimpliciter: altero vero figurato, id eſt, Metaleptícè & Correlatiuè, qua fides apprehendit obiectum ſuum. Priori modo, fides dicitur, non eſſe ſola, poſteriori, dicitur ſola iuſtificare.

II.

Iuſtificatio quæ fidei actio eſt, duobus modis conſideratur. Vel communiter pro toto illo Reconciliationis noſtræ cum Deo myſterio, vel ſingulariter, pro primaria & præcipua illius parte, quæ conſiſtit in applicatione & imputatione Iuſtitiæ Chriſti. Illius fundamentum eſt commune, huius inſtrumentum eſt ſingulare.

III.

Fides aliter conſideratur in perſona iuſtificati, aliter in ipſa iuſtificatione, aliter in effectu iuſtificationis: in perſona iuſtificati, eſt radix & initiũ omnium virtutum. In actu Iuſtificationis eſt inſtrumentum: in effectu, eſt oſtium vitæ, ianua & via in vitam.

IIII.

Timor Dei in Scripturis & apud Patres ſumitur æquiuocè. Vel enim Fidei antecedens,

vel Fidem ipſam, vel Fidei conſequens ſignificat. Fidei antecedens, eſt enim timor, ad iuſtificationem fidei gradus, non tempore, ſed naturæ ordine prior. Fidem ipſam, ſignificat enim ſæpiſſimè timor Dei in Scriptura totum diuinum cultum, cognitionem & fiduciam, id eſt, fidem ipſam. Fidei conſequens, quia timor Dei, ſeu ſtudium illud vitandi peccata, & præſtandi iuſtitiam, fidem, tanquam fructus, bonam arborem conſequitur. Quæcunque autem Dei timori attribuuntur à Patribus, & in Scriptura, aut in ſecunda ſignificatione per Synecdochen, aut in tertia per Metonymiam effecti attribuuntur.

V.

Spei vocabulum aliquando ſumitur pro ipſa fiducia, prout idem verbum modo fidere, modo ſperare ſignificat, in qua ſignificatione ſumitur a Patribus, & in Scriptura, locis citatis à Bellarmino. Aliquando ſumitur oppoſitè, vt fides ſit de rebus præteritis & præſentibus, ſpes tantum de futuris.

VI.

Dilectio vera, quæ in hoc mundo nunquam perfecta eſſe poteſt, nec tempore, nec natura, Iuſtificatione prior eſt, vtpote quæ velut effectus per emanationem, fidem, vt cauſam ſuam proximam conſequitur. Nec quæ Scripturæ loca afferuntur, Remiſſionis peccatorum, aut Iuſtificationis cauſam, ſed adiunctum, ac conſequens illius neceſſarium denotant.

VII.

VII.

Pœnitentia in Scripturis duplex proponitur, vera & hypocritica. Veram definit ac circumscribit Fides, hypocriticam fidei absentia; eoque quæ veræ pœnitentiæ tribuuntur in Scripturis, & à Patribus, non respectu sui simpliciter, sed respectu fidei, secundum quid attribuuntur. Adde quod Metonymia frequenti & vsitata in Scriptura, Effectui tribuitur quod Causæ est.

VIII.

Propositum ac desiderium Sacramentum reipsa percipiendi, simulque nouæ vitæ ac obedientiæ à Iustificatione excluduntur, non à iustificato. Aliud autem est Causa iustificationis, aliud qualitas iustificati. Nec effecta cum causis, aut Causæ cum suis effectis confundenda sunt.

Secundum argumentum. Si Fides non potest separari à dilectione aliisque virtutibus, non igitur sola Iustificare potest. cap. 14. *& 15. Distinctiones.*

I.

ALIVD est agere de Fide qua consideratur absolutè, vt qualitas; aliud vero qua consideratur relatiuè vt organum & instrumentum. Absolutè considerata, non potest separari à bonis operibus. Relatè vero, absque operibus iustificat, quia sola iustificationis instrumentum est, non opera, eoque sola nunquam est, sed sola agit in opere iustificationis.

II.

Nec tamen ſequitur cum vitijs iuſtificare fidem, vt iuſtificat abſque operibus, quia fides tantum qua iuſtificat, non autem quæ iuſtificans eſt, abſque operibus excluſiuè conſideratur.

III.

Vnde & tertium illud inconſequens eſt. Fidem, ſi ſola eſt, ſolam etiam nos iuſtificaturam: quia vt nec iuſtificatio à fide: ita nec fides ab operibus vnquam ſeparatur. Vt etiam inconſequens eſt: ſi oculus ſolus videt, ergo videbit, etiamſi ſolus ſit.

IIII.

Quod vero probat Aduerſarius: fidem veram poſſe reipſa à dilectione aliſque virtutibus ſeparari, nullo nititur fundamento. Nam *primò* quod ad loca. Iohannis 15. agitur de Fide hiſtorica: 1. Corinth. 13. de Fide miraculoſa: Iacobi 2. de Fide temporali ſeu hypocritica. *Secundò* quoad argumentum ſumptum à conditione Eccleſiæ, ludit æquiuocatione in vocabulo fidelium, qui locis citatis ita dicuntur propter externam fidei profeſſionem & Eccleſiarum communionem, non autem ſecundum veritatem internam, ac formalem fidei Eccleſiæque rationem. *Tertiò* quoad argumentum ſumtum à ratione propria fidei & charitatis, nititur, & falſo conſequente, & falſo ſuppoſito. Falſum enim eſt conſequens, etiamſi duæ ſint virtutes, poſſe tamen à ſe mutuo ſeparari. Falſum eſt quoque ſuppoſitum, Charitatem non neceſſario

naſci

naſci ex fide, fidem enim Deus dedit, tanquam charitatis matrem ac progenitricem. *Quartò* quoad abſurdum, nullum eſt. Nec enim quia fides ſine operibus non eſt, ideirco iuſtificatio ab operibus pendebit, cum duo ſint diuerſa enuntiata, eſſe abſque operibus, & abſque operibus iuſtificare.

Tertium argumentum, ſumptum eſt à remotione Cauſarũ: Cum Fides ſola iuſtificet: quæ cauſæ ad tria cap. referuntur à Bellar. ca. 16.

Primum *eſt* Authoritas verbi, *ad quod reſpondet Aduerſarius: nullibi in Scriptura doceri, Nos ſola Fide iuſtificari.*

Reſp. Licet particula (Sola) in Scripturis non exprimatur, exprimitur tamen vocis illius ſignificatũ per Synonimas loquendi formulas, quæ ſunt. 1 ſine operibus. 2. gratia, gratis, per gratiam. 3. Particulæ excluſiuæ, quæ particulares duæ ſunt. Galat. 2 16. *Niſi per Fidem.* Lucæ 8. 30. *Credendo tantum:* Quibus loquendi formulis, vt opera omnia tam ceremonialia, quam moralia excluduntur: ita ſola fides includitur, tanquam vnicum iuſtificationis inſtrumentum.

Secundum *caput, eſt* voluntas Dei, *qui nos cum ſola Fidei conditione vult iuſtificari. Reſpondet aduerſarius, contradicere Scripturam quæ ponat etiam conditionem pœnitentiæ.*

Reſp. 1. Pœnitentia conditio eſt fidei ac perſonæ

ſonæ iuſtificatæ: non autem propriè Iuſtificationis. 2. Aliud eſt agere de Iuſtificationis conditione, aliud vero de illius Cauſa ſeu inſtrumento. Conditio enim conſequens ſeu effectum notat, Cauſa vero antecedens ſeu efficiens. 3. Ne quidem Iuſtificatio noſtra, eſt cum conditione Fidei, qua Fides eſt habitus in nobis: ſed qua extra nos Chriſtum apprehendit.

Tertium, *eſt* Natura Fidei, *quæ ſola id habet vt apprehendat Iuſtificationem. Reſp. aduerſarius, Fidem non propriè apprehendere.*

Reſp. Apprehenſio duplex eſt, vna cognitionis in intellectu, altera Fiduciæ in voluntate; vtramque includit Fides, quæ ratione intellectus & voluntatis Chriſtum apprehendit. Nec vero eadem eſt ſacramentorum ratio, quæ non vt iuſtificent, ſed vt Iuſtificatum, in ſenſu iuſtificationis ſuæ confirment, inſtituta ſunt.

Quartum *argumentum, à modo Iuſtificandi: dicimus enim Fidem nõ per modũ cauſæ, dignitatis, aut meriti; ſed relatiuè tantum iuſtificare: Negat Bellarminus, & probat tribus argumentis Fidem iuſtificare per modũ meriti & cauſæ. cap. 17.*

Primum ſumitur à teſtimonijs quæ docent, Fidem eſſe cauſam Iuſtificationis.

Rom. 3. Rom. 5. Epheſ. 1. Reſp. Primò. Aliud eſt διὰ τὴν πίστιν, aliud διὰ τῆς πίστεως; illud Cauſæ, hoc Inſtrumenti. 2. Nec eadem eſt ratio

ratio operum, quæ Fidei in Oppoſitione, quia opera rationem habent Iuſtitiæ nobis inhærentis, Fides rationem Iuſtitiæ nobis imputatæ. 3 Nec quæ loca afferuntur Cauſam notant Iuſtificationis, ſed, aut Inſtrumentum illius, aut Qualitatem ac ſtatum hominis iuſtificati.

Secundum ſumitur ab ijs teſtimonijs quæ teſtantur, Fidem eſſe initium Iuſtitiæ, ac per hoc eſſe Cauſam Formalem Iuſtificationis.

Romanorum 4. Primò. Imputatio duplex eſt, vt eo ipſo loco notat Apoſtolus, vna ex debito, altera ex gratia. De hac autem agit Apoſtolus, non de illa. 2. Cum Fides Inſtrumentum ſit, non mirum eſt, ſi quæ inſtrumentorum ratio eſſe ſolet, nomen, & officium rei, cuius inſtrumentum eſt, ei attribuatur.

1. Ad Corinth. 3. Primò. Fundamentum duobus modis conſiderari ſolet, Propriè aut Metalepticè. Propriè Chriſtus eſt; metalepticè Fides, quæ Chriſtum reſpicit, illud primum, hoc ad primum, diſtinctionis Cauſa dici poteſt. 2. Fundamentum, vel vt ædificij pars, vel vt baſis ædificij conſideratur. Chriſtus & Fides, fundamentum dicuntur Eccleſiæ, non propriè qua illius pars, ſed qua baſis.

Actorum 15. Primò. Fide iuſtificantur corda, non vt Cauſa, ſed vt inſtrumento, non efficiēdo, ſed afficiendo ſeu applicando. 2. Locus ipſe, Fidē, quæ Cauſa tantum interior inſtrumentalis

est, à Causa propriè efficiente, Patre videlicet, in Filio, per S. Sanctum, manifestè distinguit.

Tertium *sumitur ab ijs testimonijs quæ docent per Fidem impetrari Remissionem peccatorum.*

Lucæ 7. Resp. Primò. Seruari dicuntur homines, tum propriè, à Deo vnico seruatore nostro, tum figuratè per media quæ Deo visum est adhibere, siue interna vt Fides, siue externa, vt vox Euangelij & signa illius. 2. Efficacia Fidei, tota pendet ab obiecto quod apprehendit: ac dicitur saluum facere, eo quod salutis instrumentum sit efficax & necessarium, prout Euangelium, potentia dicitur cuiuis credenti ad salutem.

Roman. 4. Resp. Primò. Particula, (διὰ) non Causam Consequentis, sed Consequentiæ notat. 2 Non quid mereatur Fidei habitus, (cum Fides & meritum sint opposita) sed quis veræ ac Germanæ fidei vsus & effectus sit, indicatur.

Rom. 10. Resp. Primò. Nec Prædicationem Fidei Causam fecit Apostolus, nec fidem inuocationis aut salutis: sed vt illam illius, ita hanc huius instrumentum esse docet: 2 Gradus salutis ab Apostolo recensentur, qui malè cum Causis illius confunduntur. 3. Quæ fides per inuocationem impetrat, impetrat vt instrumentum, non vt Causa, quia tota vis fidei, in relatione Consistit.

Hebr. 11. Resp. Primò. Per fidem, placent homi-

homines Deo, non propter fidem. 2. quæcunque citantur exempla non fidei meritum, sed vſum ac effectum notant.

Quintum argumentum ex duobus petitur Principijs, quorum prius eſt, Formalis Iuſtificationis Cauſa, quam dicit aduerſarius eſſe Iuſtitiam nobis inhærentem: Alterum eſt bonorum operum meritum & neceſſitas: De priore agetur in explicatione Cauſæ Formalis, de poſteriore in loco, de bonis operibus.

Diſtinctiones pro CAVSA MATERIALI.

I.

IVSTITIA Alia creata eſt, alia increata, hæc Dei, & Chriſti, qua Deus eſt; illa Creaturæ, & Chriſti, qua creatura eſt.

II.

Creata iuſtitia, vel perſonæ eſt, vel Cauſæ: per illam iuſta cenſetur perſona aliqua, per iſtam alicuius controuerſiæ cauſæ iuſtitia intelligitur: in Chriſto propriè loquendo iuſtitia eſt perſonæ.

III

Perſonæ, alia eſt inhærens, alia imputatiua, illa in Chriſto fuit: hæc in nobis eſt per operationem Spiritus propter Chriſtum.

IIII.

Inhærens iuſtitia, alia Originalis eſt ſeu Habitualis, alia Actualis, vtramque Chriſtus habuit: hanc tamen propriè tantum imputat.

V.

V.

Iustitia Actualis, alia perfecta est, alia imperfecta, hæc in nobis, illa in Christo.

VI.

Perfecta actualis Iustitia Christi, in duplici obedientia consistit, quarum vna obedientia dicitur Legis: altera obedientia ad mortem.

VII.

Quæ Obedientia Legis, vere & propriè effectum est personæ Mediatoris; non debet, aut potest appellari, vel pars tantum constituens personam, vel qualitas ad eius personæ constitutionem pertinens.

VIII.

Quæ scripturæ loca agunt de morte Christi, non exclusiuè, aut oppositè sunt accipienda, sed figuratè seu Synecdochichè, pro extremo totius obedientiæ complemento.

Distinctiones pro CAVSA FORMALI.

Argumenta, quæ contra veritatem Causæ huius adfert Bellar. duorum sunt generum. Nam, *Primò* Causam Formalem Iustitiæ nostræ, esse Iustitiam nostram inhærentem certis argumentis conatur probare. *Deinde* Impugnat Imputationem iustitiæ Christi.

Primum conatur efficere 8. *Testimonijs, cap. 3. lib. 2. de Iustificat.*

Primum Romanorum 5. de quo actum est in explicatione Locorum, quæ contra veram Nominis rationem allata sunt.

Secundum, Rom. 3. Resp. 1. Gratia Dei æquiuocè

quiuocè ſumitur in Scriptura. Primò pro gratuito & æterno Dei fauore, quo nos gratos ſibi reddidit in dilectionis filio. Atq; hæc eſt Gratia gratum faciens. Secundò pro donis per Gratiam; ſiue externis, ſiue internis, ſiue communibus, ſiue ſingularibus. Atque, in illa, non in hac ſignificatione, ſumi loco citato tria probant, primò quia Iuſtitiam Legis quæ operum eſt, excludit Apoſtolus, vt iuſtitiam fidei, cuius Cauſas enumerat, ſtabiliat 2. quia quod Gratis dixerat, per Gratiam explicat, vt non modo antecedentia, ſed etiam conſequentia fidem opera excludantur. 3. quia hanc ipſam Gratiam opponit Apoſtolus cap. 4 verſ. 2. & 4. operibus Abrahæ, quantumuis ex renouatione Spiritus profectis. 2. Nec vero coniunctio duarum illarum vocum, Gratis, per Gratiam, cum vna alteram explicet ex vſu loquendi Scripturæ, nec vis præpoſitionis Per, quæ textu originali non habetur, & ſæpiſſime efficientem in Scriptura notat: nec efficacia gratię diuinæ; cuius effectus, à Cauſa neceſſario diſtingui debet; nec denique, quod Gratia vlla, Charitas in Scripturis dicatur (cum & Charitas Dei erga nos, Gratia ſit Gratum faciens, & noſtra erga Deum, Gratia ſit Gratis data) interpretationem illam vllo modo infringit.

Tertium, 1. Corinth. 6. Ad hoc ſupra reſponſum eſt.

Quartum. Tit. 3. Reſp. Primò, Male confunditur, effectus cum Cauſa: Iuſtificatio, cum Regeneratione ac Renouatione: illius enim Materia

Materia, est iustitia Christi, huius vero, nostra Inhærens. 2 Nec Apostolus Renouationem Iustificationem appellat, cum vnam ab altera expresse distinguat. 3. Renouationis seu bonorum operum, non Causam sed vsum indicat Apostolus, dum dicit; vt Iustificati gratia Dei, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Quintum. Hebr. 11. Resp. Primò. Iustitia duplex est, imputata & inhærens, vtraque dicũtur iusti; sed varia ratione, illa relatiuè & perfectè coram Deo: hac Inchoatè, subiectiuè & imperfectè. 2 Quæ perfectio fidelibus tribuitur in Scriptura, triplicem habet respectum. Consilij Dei ab æterno. Fundamenti in Christo. Denique vel comparationis & oppositionis, ad Iniustitiam aliorum, vel termini perfectionis, ad quem tendit. Extra hos respectus nulla est fidelium perfectio in hoc mundo. 3 Iusti operis Causa proxima quidẽ est iustitia inhærens præcipua vero, ac primaria, Spiritus Christi, iustitiam Christi nobis imputantis, & vi imputatæ illius iustitiæ, hanc Inhærentẽ, in nobis operãtis.

Sextum. Rom. 8. & 1. ad Corinth. 15. Respo. Primò Conformitas nostra cum imagine Christi, cuius in Scripturis mentio fit, triplex est, vna ad imaginem gloriæ, opposita ei quæ est ad imaginem afflictionum Christi. Atque de hac agitur in locis citatis. Altera ad imaginem obedientiæ Christi, quam quidem imperfectè præstamus in hoc mundo, perfectè autem præstitam pro nobis, nobis Christus applicat. Tertia

tia est mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi. Secundò, Iustitiæ Christi duplex est vsus, vnus primarius, Satisfactionis ac meriti; alter secundarius, exemplaris ac documenti. Quoad Satisfactionem, Iustitia Christi nobis imputatur: quoad exemplar, Iustitiæ nostræ inhærentis Regula est: Tertiò. Quæ vero oppositio instituitur, inter imaginem primi Adami, & secundi, ex sensu Apostoli, in vtroque loco, mortalitatem, & immortalitatem, terrenas, & cœlestes, corporis qualitates spectat: non peccatum propriè, aut Christi Iustitiam imputatam.

Septimum. Rom. 6. Resp. Iustificationis vocabulum dupliciter accipitur. Propriè, & impropriè; Propriè cum dicimur iustificari ex causa: Improprie cum dicimur iustificari ex effectis. 2. De Sanctificatione nostra agit Apostolus, duplicique illius parte, Mortificatione vet. & viuificatione noui hominis, cuius vtriusque partis, exemplar nobis exhibet in morte & resurrectione Christi. 3. Iustificari accipitur pro Liberari, ex Hebræorũ idiotismo qui cum antecedẽte, consequens comprehendunt.

Octauum. Rom. 8. Resp. Primò. Male confunduntur salutis nostræ gradus Adoptio & Iustificatio. 2. Adoptionis duæ sunt considerationes. Vna secundũ veritatem & fundamentum ipsius, in Consilio æterno Electionis nostræ, altera secundum fructum & complementum, in altera vita: in illa significatione, Adoptio Iustificationem antecedit: in hac Adoptio Iustificationis terminus est & finis.

3. Aliud

3. Aliud est Iustificationem dicere putatiuam, aliud imputatiuam; illa vt falsa est, falso etiam nobis affingitur, hæc non minus vera est, quam si ipsi haberemus subiectiuè, propter veritatem, & promissionis diuinę & coniunctionis nostræ cum Christo.

CAVSAM FORMALEM *nostræ Iustificationis non esse Imputationem Iustitiæ Christi, decem Argementis probat Bellarminus, cap. 7. lib. 2. de Iustif.*

AD PRIMVM.

FALSVM; cum enim testimoniorum duo sint genera, alia expressa, alia ex consequenti; vtraque in Scripturis, & apud Patres de imputatione Iustitiæ Christi reperiri probant sequentia: Expressa in scripturis, inter cætera, duo sunt. Rom. 4. 6. & 1. Cor. 1. 30. Ex consequenti præcipua sunt: primò quod Remissio peccatorũ quæ altera iustificationis pars est, non Imputationis nomine in scripturis exprimatur. Rom. 4. 7. & 8. Secundò quod propriam seu inhærentem iustitiam neget Apostolus, vt stabiliat eam quæ ex imputatione est per fidem; Philip. 3 8. Tertiò quia quæ ratio est peccati nostri in Christo, ea & iustitiæ Christi in nobis, vtrobique scilicet ratio imputationis. 2. Corinth. 5. 21. Testimonia Patrum passim obuia sunt.

AD SECVNDVM.

Primò, siue veritatem diuinam spectes, imputatio Iustitiæ cum Remissione peccatorum coniungitur. Daniel. 9. 24. Rom. 4. 6. & 7.

siue

siue salutem nostram duplici malo, Cui subiecti eramus, duas etiam Iustificationis partes opponi oportuit, Pœnæ, Remissionem peccatorum, Culpæ, Iustitiæ imputationem. Siue denique legis satisfactionem, duo erant necessaria, primùm vt liberaremur à pœna quam Lex minatur, secundò vt Legem impleremus & sic Christo conformes redderemur. 2. Nec loca quæ citantur de Remissione peccatorum, imputationem Iustitiæ Christi tollunt, cum quæ se mutuò ponunt, merito opponi non possint. 3. Quæ vero antithesis. 5. ad Rom. instituitur, non inhærentiæ aut imputationis modum spectat, sed salutis ac condemnationis *Causas, effecta, & subiecta. Causas*: salutis quidem, obedientia secundi Adami; condemnations vero, inobedientia primi. *Effecta*, quod illa constituamur iusti, hac vero constituamur peccatores; *Subiecta*, vtrobique multi, in Causa scilicet condemnationis, vniuersaliter; in Causa verò salutis communiter sumti.

AD TERTIVM.

Primò, Imputationis Iustitiæ Christi duplex est vsus, vnus, nos absolvere coram Deo: alter, tegere imperfectionem iustitiæ nostræ, ille primarius, hic secundarius. 2. Quæ perfectio Fidei, Spei & Charitati tribuitur, æquiuocè dicitur, & secundũ triplicem illum respectum, cuius supra mentio facta est, explicanda.

AD QVARTVM.

Primò, Formaliter iusti dicimur, aut subiecti-

iectiuè aut relatiuè. Subiectiuè, iuſtitia nobis inhærente quæ imperfecta eſt. Relatiuè, iuſtitia Chriſti quæ nobis perfecte imputatur. 2. Falſum eſt, à qualitatibus quæ ineſſe poſſunt, extrinſecus nomen, rem aliquam ſemper ſortiri oportere, cum etiam in naturalibus, corpora aſtrorum ſplendeant, non ſuo, ſed aſcititio lumine, i. Solis beneficio. 3. Subordinata non pugnant, nec duæ ſunt contrariæ Formæ, extrinſeca, & inhærens; cum illa huius ſit Cauſa, Antecedens, & Formatrix.

AD QVINTVM.

Si veritatem Iuſtitiæ nobis imputatæ ſpectes, non minus, vere iuſti cenſemur coram Deo ac Chriſtus: ſi quantitatem ac ſubiectum; magis Chriſtus iuſtus eſt quam nos, quia ille actualiter, nos imputatiuè, ille ſubiectiuè, nos relatiuè in illo, & ad illum. Nec proinde cenſeri poſſumus, aut debemus Redemtores ac ſaluatores; quia actionum Chriſti duo ſunt genera, vnum earum, quæ in abſtracto denominatæ non tam officium Chriſti, quam beneficium illius nobis acquiſitum ſignificant, alterum earum, quæ in concreto, non tam beneficium, quam officium illius perſonale nobis denotant. Illarum nomina ſolent commutari, Harum vero, in perſona Chriſti terminantur.

AD SEXTVM.

Reſtitutionis imaginis Dei in nobis per Chriſtum, duæ ſunt partes; deprauatæ Imaginis abolitio, & illius Renouatio, Illa Iuſtitiæ Chriſti imputa-

putatione; hæc ſanctificationis ſeu iuſtitiæ inhærentis beneficio perficitur. Vtrumque autem habemus à Chriſto.

AD SEPTIMVM.

Primò Chriſti duplex eſt conſideratio, vna quidem ſecundum ſe, altera ſecundum nos, quorum perſonam ſuſtinuit. Reſpectu prioris, Chriſtus dicitur, iuſtus, ſanctus, &c. Reſpectu poſterioris dicitur, factus peccatum, Maledictio, &c 2. Etſi peccatum interdum dicatur victima ex Hebræorum idiotiſmo, tamen ratio oppoſitionis poſtulat loco citato, vt potius dicatur factus peccatum, id eſt, peccator, non in ſeſe, ſed ex omnium noſtrorum peccatorum reatu, ipſi imputato, cuius rei figura fuit, hircus ille geminus, cuius mentio fit Leuit. cap. 16.

AD OCTAVVM.

Primò. Sponſæ duplex eſt pulchritudo, vna quam habet à ſponſo, perfecta imputatione, altera quam habet in ſe, inchoatione in hac vita. 2. Nec pulchritudo Chriſti & Eccleſiæ ſpecie differunt, ſed ſubiectis, & modo proprietatis, Chriſto enim ineſt pulchritudo, modo inhærentiæ: Eccleſiæ, modo imputationis 3. Pulchra autem dicitur, inter mulieres, non oppoſita ad Chriſtum, ſed ad alias mulieres.

AD NONVM.

Primò Mundities, qua præparamur ad viſionem Dei, tam ea eſt quam Imputatione habemus, quam quæ nobis ſubiectiuè ineſt in hac vitâ. 2. Nec eſt Imputatio res tantum inanis

quæ

quæ videatur, aut putetur tantum esse: Reuera enim nobis applicatur, & cum relatio non sit res ociosa sed applicatio ad terminum, omnino hanc imputationem, quæ tota in relatione consistit, aliquid esse necesse est.

AD DECIMVM.

Hebræor. 9. Ephes. 5. ad Titum 2. & Iohan. 16. Resp. Primò. Sanctificationis vox homonyma est, vel enim significat Iustificationem ipsam, vel iustificationis effectum: in prima autem significatione sumitur, locis citatis, non in secunda. 2. Male opponuntur, verè, & imputatiue, cum & ea quæ nobis imputantur, tam verè nostra sint, quam si nobis subiectiuè inessent.

DE FOEDERE DEI,
PARS Κατασκευαστικὴ.

ATque hi GRADVS sunt secundum quos Deus in hac vita, VOCANDO Efficaciter, & gratis IVSTIFICANDO, Redemtionis beneficium dispensat. De MEDIIS Externis; per quæ, Dispensationem istam, Deus ordinariè exequitur, ex ordine videndum est.

MEDIA Externa ordinaria Exequutionis eius, ex parte Dei, duo sunt, FOEDVS & FOEDERIS Sigilla seu Sacramenta.

FOEDERIS nomine, non Generale, Terrenum, ac temporarium illud fœdus intelligimus; quod cum rebus omnibus creatis, pro natura ipsarum, ex libera Prouidentiæ suæ lege, pepigit & seruat Deus; nec speciale illud, quod cum

cum primis noſtris parentibus, in ſtatu illo integritatis initum fuit, addito ſpeciali obedientiæ examine, & adhibitis tum vitæ ſupernaturalis promiſſione, tum minis mortis variſque [a]; Illud, Naturæ eſt vniuerſalis; hoc Naturæ Humanæ, certo temporis, & ſtatus termino circumſcriptum: Neutrum proprie ad nos pertinens; qui ex Natura vniuerſali, & corruptione naturæ ſingularis, euehendi ſumus, ad communionem gloriæ ſupranaturalis. Sed intelligimus illud Fœdus, quod cum homine poſt lapſum ipſius ſingulari ſua gratia Deus inijt; quod fœdus vnicum eſt, cum vnica ſit tantum ſalutis via, licet varia ac diuerſa eius adminiſtrandi ratio deſignetur. Quare, Primò de ipſa FOEDERIS Subſtantia; Secundò, de Formis eius, quas à Modo externo, & Circumſtantijs varias habuit, dicendum eſt. a Gen. 3. 22.

FOEDVS ergò, quod cum Homine corrupto Deus inijt, eſt, Diſpoſitio Dei Gratuita, qua ſalutem æternam promittit, per mortem Filij ſui, ad gratiæ ſuæ Gloriam.

Cauſa efficiens huius Fœderis, Deus eſt [b]. Nec enim, duarum hic partium diſpoſitio eſt, quæ Perſonarum, & iuris æqualitatem, inter partes præſupponere ſolet; talis enim inter Deū, & Creaturam nunquam cadere poteſt, ſed Dei ſolius eſt; qui mera voluntate ſua, Fœdus illud cum homine pepigit quo è natura ſua, ad communionem Gratiæ, & Gloriæ Dei euehe retur. b Ier. 32. 32. &c. Gal. 4. 24.

Atque Cauſæ huius efficientis ratio, in Scripturis,

tuis, duobus modis circumscribi solet; tum *communiter* & *immediatè*, tum vero *singulariter* & *Mediatè*.

Communiter & Immediatè beneficium est Dei Patris, Filij & Spiritus Sancti.

Singulariter vero & mediate, beneficium est Christi θεανθρώπου, qui vt Electionis, ita & Gratiæ Dei in tempore communicatæ fundamentum est; cui hoc fœdus superstruitur [a].

a Eph. 1. 3. 4. Act. 3. 15.

MATERIA Fœderis, duplex est; quarum vna Obiecti, altera Subiecti, ac partium rationem habet.

Obiectum, seu Materia circa quam, duplex est. Primò est Deus promittens vitam, sub conditione Fidei, & Cultus sui. Secundò est Homo, stipulans gratiam, & spondens fidem & obsequium.

Subiectum, seu Partes fœderis, circumscribunt conditiones illius; quæ duorum sunt generum. Prius earum, quæ à Deo spondentur in Lege & Euangelio. Posterius, earum, quibus præstandis, sese homo obstringit, spondens fidem, & bona opera.

FORMA Fœderis est, Partium, secundum conditiones certas, obligatio mutua. Dei quidem, promittentis per mortem Filij sui, gratuitam Remissionem peccatorum, & vitam æternam [b]. Hominis vero, pollicentis fidem, & obedientiam [c]. Atque huius Obligationis respectu, Partium diuersa est ratio: Nam respectu Dei, est libera ipsius gratia, & misericordia; qui se homini obstringit, amando & promittendo:

b Gen. 12. 1. 2. &c. Ier. 32. 40.
c Gen. 17. 1. Mar. 16. 16.

tendo: Respectu hominis, tota Obligatio est iuris, & debiti.

FINIS; *Generalis*, est declaratio summæ bonitatis, misericordiæ & iustitiæ diuinæ in salute nostra. *Particularis*, hominis salus, quatenus fides per se hominis bonum spectat, licet vitio ipsius non sit semper ipsi salutare.

Atque hæc SVBSTANTIA est Fœderis, quod cum homine post lapsum ipsius pepigit, Deus, cuius veritas in veteri & nouo Testamento. Lege & Euangelio, expresse & perfecte continetur.

RATIO hoc Fœdus Administrandi varia fuit, pro distinctione temporum[a], quibus alia facies, & forma, illi eidem substantiæ rei, superaddita fuit. a Heb.1.v.1.

Generalis temporum distinctio duas habet periodos, vnã *Christi exhibendi*, altẽrã *exhibiti*.

Atque, vt de primo dicamus, etiam ante Christi aduentum, pro trium Sæculorum ratione, fœdus hoc varijs modis administrauit.

Primum sæculum fuit, à Temporibus lapsus Adami, vsque ad Abrahamum: quo tempore totam fœderis rationem, Promissione illa, quæ extat Geneseos tertio, exposuit Deus non minus luculenter quam succincte[b]. b Gen.3.15.

Atque hic *modus* fuit *promissionis*.

Secundum fuit ab Abrahamo, vsque ad Moysen, quo, promissio, quę hactenus omnibus fuerat proposita, ad Abrahamum & ipsius posteros restricta, Sacramentis fuit obsignata, & stipulatione solemni sponsioni apposita,

v trim-

vtrimque conditiones expreſſæ fuerunt tam ex parte Dei quam ex parte hominis.

Atque hic *modus*, *Fœderis* propriè dicitur, propter expreſſam, obligationis mutuæ, mentionem [a].

a Gen.17.4. 5.&c.

Tertium à Moſe fuit ad aduentũ Chriſti, quo Fœdus illud Deus ſpecialiori ratione, in formam Teſtamenti diſpoſuit, expoſuit, & confirmauit [b].

b Heb.9.15. 16.&c.

Teſtamenti huius partes duæ fuerunt ſibi invicem ſubordinatæ; vna *Legalis* & conditionalis, perfectam obedientiam Legis, ab homine exigens, & ſub conditione eius, vitam æternam promittens [c]; quæ pars, ad alteram fuit veluti præparatio, prout Lex ad Chriſtum pædagogus eſt, & dicitur. Fuit autem altera Teſtamenti illius pars, *Doctrina Euangelica*, de Reconciliatione hominis cum Deo, & liberatione è miſeria ſua, per mortem Chriſti, quæ pars, varijs Typis, & Ceremoniijs fuit adumbrata [d].

c Leui.18.5. Luc.20.27.

d Exo.14.& 10.&c. Heb.8.8.

Atque hic Modus fuit adminiſtrandi fœderis ante aduentum Chriſti.

Poſt natum Chriſtum, primùm quidem Aduentu Chriſti in carnem, poſtea Adminiſtratione in carne, ac demum Morte ſua nouum Teſtamentum, vetere antiquato introduxit [e].

e Heb.7.17 Heb.9.16.

Antiquatum dicimus quadantenus, reſpectu vtriuſque Teſtamenti partis. Prioris; quia rationem perfectæ obedientiæ Legis non vrget, aut exigit Deus. Poſterioris: quia corpus, vmbris: veritas, figuris: Res ſignificata, ſignis & ſacrificijs ſucceſſit. Atque hinc quę Legis & Euan-

Euangelij; veteris & noui Teſtamenti differentia & conuenientia ſit, facilè concludi poteſt.

Conuenientia, in Subſtantia vtriuſque ſtatuitur. Nam nullæ ſunt differentiæ eſſentiales, ſed accidentales, ex diuerſo diſpenſationis modo: vnde cauſis omnibus conueniunt.

Efficiente. Nam & idem author eſt Deus, gratuita ſua Miſericordia: & eadem cauſa meritoria, mors Chriſti [a].

Materia. Nam res promiſſæ & obſignatæ eadem ſunt, Gratia Dei & gloria [b].

Forma. Nam eadem in genere adminiſtrationis ratio eſt, interna ſpiritus, & externa verbi communicatio [c].

Fine, quia vtrobique finis eſt vita æterna. Nec enim Patres in veteri Teſtamento eiuſdem promiſſionis nobiſcum participes, alium finem habuiſſe, probant *Scriptura*, *Exempla* & *Ratio*.

Scriptura, quia fœderis formula ipſa, & illius interpretes Prophetæ vitæ æternæ mentionem faciunt [d].

Exempla. Nam Noë, Abrahamum & reliquos confœderatos finem illum attigiſſe, teſtatur author ad Hebræos.

Ratio. Nam & eodem Spiritu fidei, & eiuſdem rei ſignatæ ſignis abundarunt [e].

Diſcrimen eſt in modo adminſtrationis, & τῆς οἰκονομίας circumſtantijs.

In modo adminiſtrationis, tam ex parte Dei, quam ex parte hominis. *Ex parte Dei:* Nam & interna Spiritus, & externa doctrinæ & ſignorũ cõmunicatio in nouo Teſtamento multo illuſtrior

a Ier. 31. 31 Rom 9 7. Marc. 1. 15.
b Rom. 4. 13. Gal 3. 26.
c Gen. 22. 18 Pſal. 2. 22.
Math. 28. 19.
d Gen. 15 8. Pſal. 116. 15. Eſai. 51 6. Heb. 11 9.
e 2 Cor. 4. 13. Ierem. v. 6. 1. Cor. 10. 3.

a Act.15.8. 2.Cor.4.13. Ier.31.31. strior & efficacior fuit quam in veteri[a]. *Ex parte hominis:* Nam qui in veteri Testamento fuerunt, absente veritate, imaginem, & pro corpore vmbram habuerunt: qui vero sub Nouo & præsentem veritatem, & corpus solidum[b]. Adde quod illi veteris illius Fœderis Moysem, nos vero Christum mediatorem habemus[c].

b Heb.10.1.

c Heb.8.6.& 12.24.

Circumstantijs, tum temporis tum loci. *Temporis*. Nam vetus Testamentum ad primum Christi aduentum; Nouum à primo ad secundum vsque durabit. *Loci*. Nam vetus Testamentum à tempore quidem Abrahami in angulo tantum mundi conclusum fuit: Nouum verò per totum terrarum orbem immanauit[d].

d Mat.10.5.6 Ephes.2.2. Rom.3.24.

DE FOEDERE DEI,
PARS ΑΥΤΟΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

Distinctiones pro EFFICIENTE.

I.

FOEDERIS & Testamenti vocabula ὁμωνυμα sunt. *Fœdus* tria significat. 1. Pactum illud à Deo cum homine initum, siue totum, siue partem illius. 2. Tam Leges omnes & promissiones sacras vniuerse sumptas, quam quoduis speciale mandatum, aut promissionem accentam fœderi. 3. Metonymicè libros in quibus fœdera sunt perscripta. Itidem & *Testamentum* tria significat: 1. Voluntatis nostræ sententiam de eo, quod post mortem nostram de bonis nostris fieri volumus: Græci vocant διαθήκην, 2. Ex vsu Scripturæ pactum inter Deum & homines

mines, Græci vocant συνθήκας. 3. Metonymicè libros, aut partes dictinctas Bibliorum.

II.

Fœderis vocabulum, vel absolutè sumitur, vel oppositè. Absolutè pro Fœdere gratuito tum veteri tum Nouo. Oppositè pro Fœdere Legali, seu Lege ipsa. Atque in primo significato hic à nobis sumitur. In secundo autem sumptum, vt vetus Testamentum *Litera occidens & ministerium mortis:* ita & nouum Testamentum *Ministerium Spiritus & vitæ*, vocatur in Scriptura.

III.

Fundamentum, conditio & causa Fœderis, cum de Christo enuntiantur, re idem sunt, ratione tamen distinguuntur. Fundamentum enim dicitur citra applicationem. Conditio qua applicandus, Causa qua applicatus.

Pro MATERIA.

I.

CONDITIONES ex parte hominis non sunt essentiales Fœderis, quia & fides instrumenti, & opera testimonij tantum rationem habent.

II.

Tria Promissionum genera distincta sese offerunt in Scriptura: Primum est promissio Fœderis operum, in qua promittitur vita æterna, sub conditione operum ex naturæ viribus proficiscentium. Secundum est Fœderis gratuiti, sub conditione Fidei. Tertium est

promissionum particularium & subseruientium Fœderi gratuito, sub conditione operum gratię.

Pro FORMA.

I.

FORMA Fœderis in Relatione consistit. Relatum enim Deus est: Correlatum, populus Dei: fundamentum, solemnis relatorum obligatio.

II.

Tria tempora principalia. Ante Legem: sub Lege: post Legem, & tres insignes personæ velut singulorum temporum duces, Abraham, Moyses, Christus; non tria fœdera constituunt, sed triplicem tantum fœderis administrandi rationem.

III.

Discernendum inter Fœderis substantialia & accessoria. Illa æterna, hæc temporaria.

IIII.

Diuisio Fœderis in Vetus & Nouum; non est Generis in Species, sed Subiecti in Accidentia. Varia autem adiuncta, substantiam rei non variant.

V.

Nouum Testamentum vocatur propter successionem geminam. Vnam personarum: Successit enim Christus Moysi: alteram dispensationis. Successit enim dispensatio Euangelica Legali.

DE

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

PARS Κατασκευαστικὴ.

ALTERVM Exequutionis medium ordinarium, ex parte Dei, ſunt, Fœderis ſigilla ſeu SACRAMENTA.

Horum duplex haberi & explicari ratio ſolet ac debet; vna, *Generalis* de omnibus, Altera, *Specialis* de ſingulis Sacramentis. SACRAMENTI autem nomine, (quod à re militari ad ritus Chriſtianos tranſlatum eſt) non latiſſima ſignificatione per Metalepſin, Rei ſacræ ſeu diuinæ myſterium, ſecretum & arcanum omne intelligimus, quo ſignificato, Euangelium, Incarnatio Chriſti, Gentium vocatio, &c. in Scripturis indicari ſolent. Nec minus generaliore ſignificatione per κατάχρησιν, Myſterium & arcanum, diuinum, ſymbolicum intelligimus, ſeu id omne quod præter ſpeciem, quæ ſenſibus ingeritur, aliud ſignificat; qualia Ceremoniæ, Typi, Parabolæ, ſigna & figuræ ſunt: quæ omnia quia ad res diuinas pertinent Sacramenta veteribus dicta ſunt, ſed ſtrictiore, & propria maxime ſignificatione: Sacramenti nomine intelligimus, ſignum Gratiæ, â Deo inſtitutum, vt & beneficia ſua in nobis obſignet, & nos ſibi conſecret in æternum. Eſt enim in ſignificatione Sacramenti, mutuus reſpectus, vnus ex parte Dei Gratiam offerentis, alter ex parte hominis, gratitudinem ſpondentis.

Atque hoc sensu dupliciter Sacramenti vox vsurpari solet, vel pro signo tantum & signato Synecdochicè, vel propriè pro vtroque, siue pro tota illa actione sacra, quæ ad iustam Sacramenti participationem concurrit.

Dicuntur autem Sacramenta mysteria, non quod sint miraculorum effectiones, sed Rei arcanæ & spiritualis Ceremoniæ, seu (vt loquitur Augustinus) quia signa sunt rerum, aliud existentia, aliud vero significantia. Vnde & symbola & ἀντίτυπα dicta sunt.

Est autem SACRAMENTVM, Actio sacra, diuinitus instituta [a], in qua Deus, secundum promissionem, Gratiam suam in Christo; conueniente Signorum & Rerum significatarum ἀναλογίᾳ obsignat [b], & nos mutuam erga ipsum fidem & pietatem testamur.

a Gen.17.10 11.&c. Math.28.19.

b Rom.4.11. 1.Cor.10.17. Gen.17.1.

CAVSA EFFICIENS, Deus est & vnicus Dei hominumque mediator Iesus Christus [c]; quia Sacramentorum institutio, est excellentiæ & maiestatis diuinæ, quæ sola & ius habet promittendi Signatum, & potentiam applicandi. Vnde immota & aurea illa Regula apud patres: *Nihil habere rationem Sacramenti, extra vsum à Deo institutum.*

c1.Cor.11. 23.

Efficit autem Deus Sacramentum, VERBO Institutionis, quo accedente ad Elementum, Sacramentum fit; non infusione nouæ qualitatis, sed vsus mutatione.

VERBI huius Sacramentalis dicti, sunt duæ partes, Mandatum & promissio, quorum illud Sacramenti authoritatem; hæc vsum & efficaciam

caciam illius indicat.

Mandatum est, quo iubet Deus, tum administrari Sacramenta; formulam ipsorum præscribendo; tum percipi, vsum præcipiendo. Sic in Cœna præscribitur Institutionis forma, & præcipitur Cœnæ vsus. Idem in Baptismo [a]. a Mat.28 29 Marc.16.15.

Promissio Mandato annexa, Sacramenti velut vis & anima est, quam effectus propter veritatem diuinam necessario consequitur [b]. Sic in Cœna facta est promissio de æterna & spirituali animæ nutritione. In Baptismo de salute animarum & ablutione peccatorum. b Mat.26.26. 1.Cor.11.24. Rom.6. 2.Pet.3.

Atque causæ huius Efficientis ratio, totam Sacramenti dignitatem circumscribit. Vnde nec vitijs ministrorum illam imminui [c]; nec propter infidelitatem eorum qui Symbola tantum percipiunt, de illa detrahi necesse est d. c Tit.1.15. Ephes.3.17. d Rom.3.3.4.

MATERIA Sacramentorum duplex est: vna sensibilis & externa; altera intelligibilis & interna. Harum illa, signum: hæc, signatum, seu res signi vulgo dicitur.

SIGNI autem nomine in genere, intelligimus rem omnem cuius vsus in significando positus est; in qua significatione, signorum duo genera sunt; alia *naturalia*, alia vero *data*, dicta Augustino. *Naturalia* ea sunt quæ sine voluntate seu appetitu significandi, præter se, aliud ex se, cognosci faciunt: vt Aurora, signum est vicini solis, & fumus ignis. *Data* ea sunt quæ à voluntate instituentis

dependent, ſiue Dei, ſiue hominis. Nam quæ ſigna ex inſtitutione arbitrij valent, vel humanæ ſunt inſtitutionis, vel diuinæ.

Quæ Diuinæ ſunt Inſtitutionis (de quibus hoc loco tantum ſermo eſt) alia Miraculoſa ſunt, alia abſque miraculo; illa extraordinaria & inuſitata Dei opera ſpectant, ad quæ hominum mentes merito obſtupeſcunt; cuiuſmodi vel doctrinæ, vel iræ, vel Gratiæ diuinæ ſigna, plurima occurrunt in Scripturis. Hęc familiaria & facilia gratiæ diuinæ ſigna ſunt, ſiue Rerum pręteritarum *monumenta* ſint, ſiue rem pręſentem vel futuram *deſignantia*, ſiue *obſignantia*, & velut impreſſo ſigillo certitudinem rei atteſtantia: ſiue denique *præbentia* id quod ſignificatur, idque ex veritate inſtitutionis diuinæ, & occulta Spiritus virtute.

Atque eiuſmodi ſunt ſigna hęc Sacramentalia, non naturalia, ſed data, hoc eſt, diuinitus inſtituta, vt *ſignificent*, *obſignent* & *præbeant*. Horum ſignorum partes duæ conſiderari & explicari debent. Vna *elementaris*, altera *ceremonialis*, quarum illa *rem ſubſtantialem*: hęc *actionem* & *ritus* reſpicit.

Res ſubſtantialis illud omne eſt in Sacramento, quod à communi vſu, ex inſtituto Dei ſegregatum eſt, & rebus internis & ſpiritualibus nobis ſignificandis, obſignandis & præbendis deſtinatum, qualis in Baptiſmo eſt aqua, in Cœna vinum & panis. Atque hæc ſigna in ſe, ſuaque eſſentia remanent, tum quoad Subſtantiam, tum quoad Qualitates eſſen-

essentiales & adhærentes [a]. a Ioh.1.26.

Actio est Ceremonia, tùm Ministri, Dei vices agentis, tùm, Fidelium percipientium, vt corpore, rem externam, ita & fide rem internam seu significatam [b]. 1.Cor.10.16 & 11.26.&c. Luc.22.19. b 1.Cor.11.3

Actionum enim diuinitus in omni Sacramento præscriptarum, aliæ, ijs à quibus administrantur, conueniunt, nomine Christi, agẽtibus quod agunt: aliæ vero, reliquis Sacramentum percipientibus, cuiusmodi sunt, in Baptismo aspersio aquæ, & immersio, in Cœna, fractio, distributio, & perceptio panis & vini. Vtraque signa in sensus externos incurrentia, menti nostræ res alias, planè spirituales, & cœlestes intelligendas & per fidem obsignandas proponunt.

RES istæ (vt alteram materiæ Sacramenti partem explicemus) id omne sunt in genere, quod fides ad salutem sibi applicat. Applicat autem propriè & proximè ipsum Christum, qui in vniuersum res Sacramenti est & dici debet [c], tum *Personæ*; tum *Meriti*; tum *Beneficiorum* ipsius respectu. c Rom.6.3. 1.Cor.10.16 Gal.3.27.

Personæ, quia totus Christus in omni Sacramento exibetur, tum diuinitatis, tum humanitatis ipsius ratione; quamuis humanitatis illius præcipue in Sacramenti institutione fiat mentio & ratio habeatur, tùm quia secundum illam nobis ὁμοούσιος & frater; tùm quia in illa nobis meritus est Christus, quod Sacramentum obsignat: tùm denique quia per illam, ad Diuinitatem ipsius, & gratiam Dei, me-

diatè datur aditus.

Meriti, quia mortis Christi, per quam, nobis vitam acquisiuit, tum veritas, tum vtilitas præcipuè proponitur & confirmatur. Vnde,& Sanguinis effusi, in Baptismo, & corporis crucifixi, signa dantur in Cœna. Est enim Passio Christi, salutis nostræ, velut Causa Materialis & meritoria [a].

a 1.Pet.1,7. 1.Pet.1.19. Math.20.28

Beneficiorum; quia quæ Christus habet, & egit, nobis se habere,& pro nobis egisse visibilibus signis in omni Sacramento testatur [b]. Quatuor autem nobis proponit Scriptura quæ reuera, personæ Christi beneficia,& meriti ipsius fructus sunt [c]. *Iustitiam*, quæ est peccatorum remissio & peccatoris absolutio coram Deo : *Sapientiam*,quæ est solida ac *vera* voluntatis Dei cognitio,quam extra Christum nemo habet : *Sanctificationem*, quæ est abnegatio nostri, coniuncta cum pœnitentia & noua vita. *Redemtionem*, quæ est tùm plenaria Liberatio ab omnibus malis ; etiam ab hostium nouissimo, Morte,tum finalis glorificatio.

b Ioh 6.53. Ioh.15.4. Rom.8 32. c 1.Cor.1.30

Atque hæc illa sunt quæ signantur in omnibus Sacramentis, quæ alias *gratiæ inuisibilis*: prout signum, *Formæ visibilis* nomine,à Theologis iudicari solent.

Ex hac signi & signati consideratione, Conuenientia, & differentia vtriusque concludi potest. *Differentia* ; quia, & Natura diuersa sunt; Signum est visibile, signatum inuisibile : & Obiecto : Signum in corpus tendit, signatum in animam ; & modo communicationis : Re-

Re-

Respectu enim signi, modus corporalis est; signati vero spiritualis. *Conuenientia*, quia copulatione Sacramentali realiter alioquin, & longissimè seiuncta, coniunguntur.

FORMA Interna quidem & propria Sacramenti, est Pulcherrima illa ἀναλογία signi ad rem signatam: Ac mutua Relatio vnius ad alterum; quarum illa in comparatione ac similitudine effectum, hæc in ordinatione signi ad rem significatam, propriè consistit.

Est autem hæc coniunctio Signorum & Rerum significatarum in Sacramentis, non naturalis, per substantialem contractum, & connexionem, aut accidentium & substantiarum vnionem: non localis, per indistantiam aut inexistentiam vnius in altero; non etiam spiritualis, ipsa signa immediatè vnificans, sed tota Relatiua & Sacramentalis, in tribus maximè consistens. In *Significatione*, in *Obsignatione*, & in *præbitione* Rei significatæ.

Significatione; quia signa conuenientissima similitudine, & ἀναλογία, velut introductione, quadam, mysteria spiritualia, id est, Res inuisibiles per visibiles repræsentant[a]. Atque hæc copula similitudinis propriè dicitur; quam si Sacramenta non haberent, ne Sacramenta quidem essent.

Obsignatione; quia signa, rerum significatarum signacula seu σφραγῖδες sunt & dicuntur; tùm quod veritatem similitudinis inter signum & signatum confirment; tùm etiam quod

a Gen. 17. 10 11. 1. Cor. 11. 25 16. Ioh. 6. 53. 1. Ioh. 1

quod efficaciam coniunctionis vtriusque in legitimo vsu necessario & certissimè obsignent [a]. Atque hæc copula Obsignationis dicitur.

a Gen.17.11 Rom.4.11.

Præbitione, quia reuera præbetur id quod signis figuratur. Nec enim ludit Deus signa instituendo, quorum nulla sit veritas: sed vt in verbo vocali: ita etiam in signo, id est, verbo visibili, quod promittit & mostrat, reuera præstat [b].

b 1.Pet.3.2. Rom.4.11. Ephes.3.17.

Nec tamen rei signatæ præbitio aut perceptio, ad organa corporis referuntur, sed ad animum credentis, quia spiritualis est, prout præbitio & perceptio signorum corporalis est: Spiritualem dicimus duplici ratione: tum Efficiente, id est, Spiritus Sancti occulta operatione, qua fit vere mirabili modo, vt Christi carnis interuentu nobis mystice cõmunicatæ, sanguis & meriti Christi virtus ad nostras c, vsque animas penetret: tum Instrumento, quia fides qua illa percipimus, spirituale instrumentum est cuius vinculo Spiritus arctissime coniungit, quæ alioquin longissimè sunt dissita [d].

c Col.2.6.7. Ioh.1.26.

d Ephe.3.17

Ex hac Forma interna Sacramenti, & mutua affectione signi & signati, oriuntur duo præcipua genera prædicationum Sacramentalium, vsitata in Scripturis. *Primum* cum signum prædicatur de signato, id est, signum dicitur esse signatum ipsum: vt cum Circumcisio, Fœdus, Pascha nostrum, Christus dicitur [e]. *Alterum* cum res signata prædicatur de signo, id est, res ipsa significata, dicitur esse signum vt cum panis Corpus Christi, & vinum sanguis Christi appellantur [f].

e 1.Cor.5.7. Gen.17.10. Act.7.8.

f 1.Cor.11.24 Matth.26.28

Atque

Atque hæ Prædicationes, *Relatiuæ*, *Analogicæ*, & *Metonymicæ*, vocari ſolent. *Relatiuæ*, quia cum diſparatum de diſparato prædicatur, Relatio & habitudo mutua, rerum ſibi ſimilium, neceſſariò præſupponitur. *Analogicæ*, quia nominum permutatio fit propter analogiam, & ſummam inter ſe conuenientiam. *Metonymicæ*, quia ſignum ponitur pro ſignato & contra. Ratio harum prædicationū in re Sacramentaria eſt vnio: quæ vt in tribus conſiſtit, ſignificatione, obſignatione & præbitione ſpirituali: ita Sacramentales iſtas prædicationes veras efficit, propter Significationem, Obſignatiònem, & præbitionem.

FINIS Sacramenti duplex eſt: Proprius & Accidentalis. *Proprius*, primarius eſt, aut Secundarius: ille Gratiæ Dei inuiſibilis, & noſtræ cum Chriſto coniunctionis, viſibilis obſignatio [a]: *Hic* teſtificatio pietatis in Deum, Charitatis in proximum, & Profeſſionis publicæ: qua, tanquam nota, à reliquis Satanæ Synagogis ſegregamur [b]. *Accidentalis* eſt condemnatio indignè communicantium, Licet enim infideles Sacramenta percipiant, tamen propter ſignorum abuſum, & in rem ſignificatam contemtum contumelioſum, rei redduntur contemtus Chriſti, eoque mortis & condemnationis æternæ.

a Rom.6.4. 1.Cor.10.16 Gal.3.27.

b 1.Cor.10. 17. Epheſ.4.5. 1.Cor,11.29

Ex hac Definitionis per Cauſas Analyſi, facile concludi poteſt, quænam Sacramenti nomen & rationem, maximè propriè obtineant, ea ſcilicet in quibus harum omnium cauſarum & con-

conditionum ex his emanantium concurſus ſit.

Huiuſmodi Sacramenta alia *Veteris*, alia *Noui Teſtamenti ſunt.*

Quæ *veteris ſunt Teſtamenti*, duorum ſunt generum. Alia enim fuerunt *temporaria, accidentaria & extraordinaria*, quibus ſemel tantum aut ad certum tempus vſus eſt Deus. Atque horum, quædam Baptiſmo noſtro reſpondent, vt Tranſitus per mare Erythræum, Diluuium, Commoratio ſub nube. Alia Cœnæ Dominicæ, vt Manna è cœlo data, & aqua ex Petra. Alia fuerunt *fixa & ordinaria*, quorum ſcilicet vſus fuit, vſque ad tempus noui Fœderis, quæ ſpecialia, duo fuerunt, Circumciſio a, & Paſcha b, illa Initiationis ſeu receptionis in Fœdus: hoc vero Continuationis in Fœdere, ſymbolum & Sacramentum. Quæ ſpecialia dicuntur, tum quia Noui Teſtamenti fuerunt ἀντίτυπα, tum quia promiſſionem Gratiæ & applicationem illius ad ſingulos factam, obſignabant, quo duplici nomine ab alijs omnibus Sacramentis quæ in Veteri Teſtamento plura fuerunt, diſtinguntur.

a Gen. 17. 10 Leui. 12.
b Exod. 12. 3. 2. Para. 35.

Sacramenta *Noui Teſtamenti* duo ſunt: vnum Initiationis, *Baptiſmus*, qui Circumciſioni ſucceſſit c: alterum Nutritionis ſeu alimoniæ, *Cœna Domini*, quam Agnus Paſchalis adumbrauit d.

c Col 2. 11. 12. Act. 22 16. 1. Pet. 3 21.
d Luc. 22. 15 &c 1. Co. 5. 8. 2. Cor. 11, 24

Atque vt horum duorum Sacramentorum veritatem, Cauſæ omnes demonſtrant luculentiſſimè: ita & reliquorum quæ vulgo affin-

affingi ſolent, vanitatem manifeſtè euincunt.

Duorum enim horum Sacramentorum Cauſa *efficiens* Deus eſt: verbo inſtitutionis, id eſt, mandati & promiſſionis: quam efficientem Cauſam reliqua quinque, æquiuocè dicta Sacramenta non habent a. a Mat. 28. 16

Materia, id eſt ſignum, & ſignatum in duobus hiſce Sacramentis exhibetur, quorum prius tamen, Pœnitentia non habet ſimpliciter, Matrimonium vero, ordo, Confirmatio, & Extrema vnctio non habent ex inſtitutione diuina: poſterius horum, nullum habet proximè, ſiue Chriſtum ipſum, ſiue meritum, ſiue beneficia ipſius ſpectes.

Forma Sacramenti, in Baptiſmo & Cœna tantum reperitur: Reliqua vero ſignificationem quidem habent aliquam, ſed Obſignationem & Præbitionem, nullam.

Finem primarium & ſecundarium, hæc duo Sacramenta habent coniunctim: quinque reliqua aut non habent, aut habent diuiſim.

His adduntur, duæ Conditiones, Sacramentorum inſtitutioni annexæ, quarum *prior* requirit vt Sacramentum ſit ordinarium & perpetuum: *ſecunda* vt Sacramenti vſus communis ſit omnibus, qui idem fœdus, & eandem Fidem profitentur: quæ duæ conditiones in Baptiſmo & Cœna concurrunt: in reliquis aut earum prima deeſt, vt in extrema vnctione, quæ temporibus tantum Apoſtolorum, non in deplorata valetudine, ſed in recuperanda, tanquã ſymbolum adhibebatur: aut altera,

vt

vt in Matrimonio & Ordine: aut vtraque, vt in confirmatione.

Hæc veteris & Noui Testamenti Sacramenta, secundum varios respectus, & conueniunt & differunt.

Conueniunt, primò *Efficiente*, id est Deo, seu verbo institutionis, secundò *partibus genericis*, signo & signato: tertiò, *Relatione* ad rem significatam, quæ vtrobiq; eadem est, [a] quartò, *fine*, vt sint scilicet gratiæ Dei inuisibilis, visibilia symbola.

a 1.Co.10.3. 2.Co.5.
b Gal.2.3.& 5.6.

Differunt autem: primò *adiunctis externis*, & temporis circumstantia [b]: secundò *significandi modo*, tertiò *qualitate signorum*, quartò, *numero significandi, mensura, virtute & facilitate*. Nostra enim numero pauciora, vtilitate meliora, intellectu rerum cœlestium clariora, virtute maiora, & actu faciliora sunt.

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

PARS Ἀνασκευαστική.

Distinctiones pro Nomine & significatione SACRAMENTI *contra Bellar. lib. 1 de Sacramentis cap. 7.*

I.

SACRAMENTI nomẽ, vel *genericè* sumitur vel *specificè*. Genericè pro omni mysterio diuino symbolico: Specificè pro mysterio diuino symbolico, instituto à Deo, ad fidei obsignationem, verbo mandati & promissionis.

Illud

illud communiter, hoc propriè dictum Sacramentum vocatur.

II.

Non omne Mysterium Sacramentum est, sed omne Sacramentum est Mysterium. Mysterij enim tres sunt generales significationes. Prima, pro re arcana; secunda, pro re arcana diuina, tertia, pro re arcana diuina per externa quædam symbola, signa, & typos proposita. Atque in hac significatione Sacramentum, Mysterium dicitur, nec tamen vice versa.

Loca, quæ citat, sunt,

Daniel. 2. Apoc. 17. 2. ad Thess. 2. Ephes. 5. Resp. Loca hæc, dum Mysterij mentionem faciunt, non tam rei secretæ signum, quam rem secretam significare, demonstrant omnes circumstantiæ. In primo enim non statua, sed somnium Regis, mysterium dicitur, id est res arcana, nec nisi diuinitus reuelanda. In secundo, non mulier sacramentum dicitur, sed mulieris, id est, de muliere res arcana enuntiatur. In tertio, ipse Antichristianismus Mysterium iniquitatis, id est arcana iniquitas, seu secreta impietas vocatur: In quarto non coniunctionem viri & fœminæ, sed Christi & Ecclesiæ, sacramentum dici, probat ipsa restrictio & limitatio Apostoli.

Distinctiones pro CAVSA EFFICIENTE *contra Bellar. lib. 2. de Sacra. cap. 19.*

I.

I.

MANDATVM, Dei consideratur dupliciter, vel qua datum vel qua scriptum: qua datum obstringebat simpliciter eo tempore quo nondum scriptum erat, qua scriptum obstringit simpliciter ab eo tempore quo scriptum est.

II.

Institutionis Sacramenti duplex est ratio, vna, respectu Authoris; altera respectu eorum quibus scripta, data aut facta est. Respectu Authoris institutio semper valet, siue scripta, siue non scripta: respectu vero eorum quibus scripta est, valet qua scripta est; vnde & institutionis Sacramenti duplex solet esse testimonium, vnum Immediatum, Authoris, alterum Mediatum Instrumenti seu Scripturæ. Nobis vero de voluntate authoris non constat, nisi ex instrumento seu Scriptura.

III.

Promissio consideratur vel vt effectus, vel vt efficiens Sacramenti; qua effectus, Sacramento obsignatur: qua efficiens, Sacramento certitudinē obsignationis addit. Nam diuerso respectu & Sacramentum promissionem obsignat, & de obsignatione promissionem habet.

IIII.

Verbum promissionis in Baptismo & Cœna expressum est, & verbis ipsius institutionis circumscriptum. Nec enim verba promissionis in Cœna ad sacrificium Christi, sed ad sacramentū quod instituebat referendum est. Nec etiam in Baptis-

Baptiſmo explicatur ſimpliciter efficacia Sacramenti, ſed promiſſio datur de efficacia.

V.

Oppoſita non ſunt verbum concionale & verbum inſtitutionis, ſed vtrobique in Baptiſmo & Cœna idem verbum eſt: quod enim Concionale eſt in Baptiſmo, idem eſt inſtitutionis; & quod inſtitutionis eſt in Cœna, idem eſt Concionale.

VI.

In omni ſacramento duo diſtingui neceſſe eſt, ſubſtantiale, & accidentale ipſius; quorum illud, ad eſſe, hoc, ad bene eſſe propriè requiritur. Concio autem non eſt de eſſentia Sacramenti, ſed ad modum adminiſtrationis pertinet.

VII.

Conſecratio Sacramentorum in duobus conſiſtit, in Inſtitutione ſeu ordinatione, Benedictione, verbi Conſignatione & promiſſione ipſius Dei: deinde in vſu ſancto, qui fit per preces, & gratiarum actionem.

VIII.

Mutatio verbi Sacramentalis eſt duplex, ſubſtantialis & accidentalis: illa ſenſum propriè: hæc verba & verborum ordinē ſpectat. Nec tamen à mutatione verborum, ad mutationem elementi valet concluſio, quia hoc abſque corruptione mutari non poteſt: illa vero; ſenſu remanente facile mutari poſſunt.

Diſtinctiones pro Cauſa MATERIALI.

I.

I.

SIGNA, vel sunt rerum præteritarum, vel præsentium, vel futurarum, eaque omnia vel designantia, vel obsignantia, vel præbentia: ex quibus omnibus, signa Sacramentalia mixta sunt.

II.

Signum, vel Elementum significat, vel Actionem vel vtrumque. Vnde in re Sacramentaria, id totum signum dicitur, quod sensibus percipitur: siue videatur, siue audiatur. Elementum enim visu; Actio verò visu & auditu, percipitur.

III.

Res signata in Sacramento, tum substantia est, tum actio. Substantia, vel propriè est totus Christus, vel synecdochicè, corpus Christi in mortem traditum, & sanguis effusus: Actio solius Dei est, estque vel Iustificatio vel Regeneratio.

IIII.

Vtraque, res & signa, vel coniunctim & verè offeruntur, respectu Dei promittentis; vel distinctè, tum respectu fidelium, quibus extra communionem Sacramentalem, verè & spiritualiter res signata confertur, vel infidelium, quibus etiam in Sacramentali communione, signa quidem offeruntur, res vero signata non confertur.

Distinctiones pro FORMA *& effectu Sacramenti.*

Sacra-

Sacramenta nouæ legis esse Causas Iustificationis ex opere operato, decem rationibus probat Bellarminus, 8. cap. 2. libri de Sacramentis.

I.

SIGNA Sacramentalia, *Practica* dicuntur, non quod agant ex opere operato, sed quia instrumenta sunt efficacia, quibus veritas Gratiæ diuinæ in Christo nobis obsignatur. Nec quia Baptizantur infantes, ideò immediatè Sacramenta efficiunt sanctitatem: Nam respectu infantium, Baptismus est proprie Sacramentum initiationis: prout respectu adultorum Sacramentum est sanctificationis, non efficiendo, sed obligando.

II.

Diuina institutio seu authoritas, Sacramentis non vim efficiendi indidit, quæ est principalis agentis; sed significandi, obsignandi, & præbendi. Nec in rebus diuinis humana signorum institutio locum habet, cum eorum quæ Fidem & Religionem spectant, ratio, solo Dei verbo innitatur.

III.

Institutio & vsus Sacramenti, in duobus consistit; primò, in Relatione signi ad rem signatam; secundò in administratione & perceptione legitima; Relationis veritas & virtus tota pendet ab instituente: Legitimæ administrationis Deus pro voluntate sua author est: homo vero ex regula voluntatis diuinæ, & vocationis

nis luæ, eiuſdem adminiſter.

IV.

Sacramenta diuerſa ratione pendent à Deo & à Chriſti paſſione. A Deo vt Cauſa; A Chriſti morte & paſſione, vt obiecto, nec enim paſſio Chriſti propriè Sacramenti Cauſa dici poteſt, ſed obiectum, & ſignatum ad quod fertur.

V.

Certi reddimur Remiſſionis peccatorum per Sacramenta, certitudine non abſoluta: ſed relatiuâ: non à priori ſed à poſteriori; non principali ſed inſtrumentali: non proprie efficiendo ſed obſignando.

VI.

Sacramenta & Verbum ad Fidem ſe habent, non modo contrario, ſed ſubalterno, quia vt Fides gignitur per verbum: ita nutritur per ſacramenta. Vtraque inſtrumenta ſunt, modo tamen agendi diſtincta.

VII.

Sacramenta non proſunt; niſi benè applicata. Applicationis autē duo ſunt media, vnum externum, alterum internum. Externum ſunt ſigna & verbum. Signorum vſus, tactu, verbi vero, auditu percipitur. Vtriuſque intelligentia requiritur, quia ſigna & verbum, non intellecta non proſunt. Internum eſt Fides, quæ ſignorum verbique vſum ad animam defert.

VIII.

Excitationis fidei inſtrumenta ſubordinata ſunt, Verbum Concionis ſeu Scripturæ; & verbum

bum visibile Sacramenti. Nec mutuo se tollunt sed ponunt & stabiliunt. Adde, quod alius sit picturæ Baptismi, alius vero signi vsus, cum illa, nec verbum, nec promissionem habeat, hoc verò vtrumque.

IX.

Vtilitas Sacramentorum, & communis, & singularis est, diuerso respectu, Communis; respectu initiationis, & actionis totius externæ: Singularis, respectu applicationis. Illa signis & verbo communiter; hæc fide, singulariter perficitur.

X.

Differentia Sacramentorum Veteris & Noui Testameni, non in re significata consistit: sed in modo significandi, ac reliquis externis adiunctis & circumstantijs; de quibus supra dictum est.

Idem octo Scripturæ testimonijs probat Bellarminus cap. 4.

Primus locus Matthæi 3. Resp. Non discrimẽ inter efficaciam Baptismi Iohannis, & Christi statuitur: sed inter personas, quarum illa externo tantum ministerio, confert aquam, tanquam symbolum Remissionis peccatorum: hęc interna efficacia, confert Spiritum, tanquam rerum significatarum Arrahabonem. Vtitur autem futuro tempore, loquens de Baptismo Christi, quia respicit, ipsum prædicationis Christi ministerium, quod aggressurus erat.

Nec

Nec eandem vtriuſque Baptiſmi vim, citatus locus ex Actis 19. probat, quia Pauli verba ſunt, de ijs agentis, qui à Iohanne in nomen Domini baptizati erant.

Secundus Locus, Marci vltimo verſ. 16. Reſp. Non quare ſed qui ſaluentur, indicatur, ſimulque quod, Baptiſmi & Fidei conſequens ſit docetur.

Tertius. Iohannis 3. 5. Reſp. Aquæ nomen æquiuocum eſt. In triplici enim ſignificatione in Scriptura ſumi ſolet. Vel enim ſpecialiter Baptiſmum ſignificat, vel externas Legales ablutiones: vel denique ipſum effectum Spiritus ſancti in nobis. Si in prima ſignificatione ſumatur; ſenſus eſt; ordinarium Regenerationis ſymbolum in Eccleſia, eſſe Baptiſmum. Si in ſecunda; ſenſus eſt, externas legales ablutiones non prodeſſe niſi accedat interna Spiritus mundatio. Si in tertia; Exegeticè ſpiritus nomen adiectum eſt, quod exterioris Sacramentalis Baptiſmi efficacia, à Spiritu pendeat.

Quartus. Act. 2. Reſp. Baptizari in Remiſſionem peccatorum, non Baptiſmi effectum propriè, ſed finem & ſcopũ denotat. Nec actio ad ſignificandum ſignum: ſed ſignum, ad ſignificandam actionem ſignificatam Inſtitutum eſt.

Quintus. Act. 8. Particula (Per) aliquando efficientiam, aliquando inſtrumentum, aliquãdo ſymbolum ſignificat. Hoc autem in loco ſumitur ſymbolicè, quia donum Spiritus Sancti per manuum impoſitionem, & ſignificatur

&

& obſignatur.

Sextus, 1. ad Cor. 10. Reſp. Participare ex vno pane, non cauſa eſt, ſed teſtimonium publicum, quod ſimus vnius corporis. Vnde vnus dicitur panis, non numero, ſed communi notione Sacramenti; vnum ſcilicet corpus Chriſti myſticũ nobis repręſentans.

Septimus, Epheſ. 1. Reſp. Metonymicè, quod eſt rei ſignificatæ attribuitur ſigno, quia conſecrationis noſtræ ſymbolum, Baptiſmus eſt, & quidem efficax, non virtute ſua, ſed eius, qui vnus, factus eſt nobis fidelibus omnia.

Octauus, 1. Pet. 3. Reſp. Saluatio attribuitur Baptiſmo, quia ſalutis inſtrumentum eſt viſibile, tum ſignificando, tum obſignando. Adde quod Baptiſmus tanquam ἀντίτυπον opponitur liberationi à diluuio, non reſpectu efficaciæ, ſed conſequentis ſeu rei ſignificatæ. Nec propriè inter Baptiſmata Iudæorum & noſtrum diſcrimen ponitur, ſed inter externum & internum Baptiſmum, vtpote cum huius effectus, propriè ſit ſaluatio & pax conſcientiæ.

Diſtinctiones pro FINE. *Quinque argumentis, probat Bellarminus, obſignationem Gratiæ & promiſſionum diuinarum, non eſſe finem Sacramenti. cap.* 14. *lib.* 1. *de Sacrament.*

I.

OBſignationis Sacramentorum finis nõ eſt, aut vt doceamur quænã ſint promiſſiones

diuinæ, docet verbum; aut vt Sacramentis magis credamus, quam promissionibus: Sacramenta enim propter promissiones, non autem promissiones propter sacramenta sunt, sed vt veritas promissionum diuinarum confirmetur & obsignetur.

II.

Essentia & natura Sacramentorum, tum ex verbis instituentis, tum etiam ex proprietatibus Sacramenti, colligi debet. Verba instituentis promissionem includere supra dictum est. Proprietatem Sacramenti esse rem promissam significare & obsignare, relationis omnis natura, & signorum omnium vsus euincunt.

III.

Vsus Testimoniorū diuinorum pendet à voluntate instituentis, siue signa sint, siue opera, quæ subordinata opponi nec debent nec possunt. Vtraque efficacia sunt, & vsum suum habent. Nec signorum abusus in hypocritis, vsum illorum tollit, sed quæ natura est oppositorum in pijs magis stabilit.

IIII.

Obsignatio promissionum diuinarum vel fidem fœderis, vel fidem fœderatorum respicit. In infantibus obsignatio fit promissionis diuinæ, respectu Fidei fœderis propriè: in adultis respectu Fidei in fœdus.

V.

Sacramentorum finis, vel instituentem respicit,

ſpicit, vel vtentem. Inſtituentis finis eſt, vt Sacramenta obſignent. Vtentium, vel vt obſignatione illa vtantur ex voluntate inſtituentis ad ſalutem ſuam: vel vt abutantur ad condemnationem, qui vltimus finis accidentarius, proprium finem, ſiue principalem, ſiue ſecundarium, non tollit.

DE BAPTISMO,

PARS Κατασκευαστικὴ.

EXplicatæ in genere, doctrinæ de Sacramentis, ſubijcitur in ſpecie doctrina de duobus N.T. Sacramentis, BAPTISMO & COENA DOMINICA.

BAPTISMVS, ſecundum Etymi ſui rationem, *Communiter* ſignificat, quamuis ablutionem (imprimis legales & Iudaicas luſtrationes & purgamenta) ſeu purificationem quæ fit per aquam: *Singulariter* vero ſumitur, vel *Metaphoricè* pro Cruce & Martyrio[a], quem *Baptiſmum ſanguinis* vocant, vel *Synecdochicè* pro effuſione donorum Dei viſibilium, quibus inſtructi fuerunt Apoſtoli[b], quem *Baptiſmum flaminis* appellant: vel maximè proprie pro primo N.T. Sacramento: quem *Baptiſmum fluminis* nominant, in qua vltima ſignificatione à nobis hic ſumitur & definitur.

[a] Marc. 10. 38

[b] Act. 1. 5.

Primum N. Fœderis Sacramentum, à Chriſto inſtitutum, ex analogis ſigno & ſignato, & analogica relatione ipſorum inter ſe, & actione conſtans: Quo fœderati à miniſtro Eccleſiæ

aqua abluuntur; vt Christo insiti, internæ animæ ablutionis per sanguinem & spiritum ipsius, fiant participes.

CAVSA EFFICIENS Baptismi, bifariam considerari potest, vel vt *Causa instituens*, vel vt causa *instituto Baptismate vtens* seu baptizans. *Priori modo*, Christus solus per Spiritum sanctum, dici & haberi debet, author Baptismi, vtpote qui primò Baptismum instituit, in persona Iohannis Baptistæ, cuius baptisma non esse ab homine, sed ex Deo, & de cœlo, Christus ipse testatus est [a]. Deinde verbo mandati & promissionis institutum baptismum Iohannis confirmauit [b]. Licet enim quoad circumstantiam, & modum patefactionis Christi, aliquod discrimen fuerit inter baptismum Iohannis & Apostolorum, specie tamen vnus, idemque Baptismus fuit, cum vt illius, ita & horum, eadem sit definitio, & causis omnibus vterque conueniat.

a Ioh. 1. 23. 31.

b Mat. 28. 19

Posteriori, Minister, Baptizans dicitur, seu causa instituto baptismate vtens [c], quia in Christi nomine Baptismum administrans, Sacramentaliter ac Ministerialiter rem Baptismi obsignat & confert. Ministri autem nomine intelligimus eum, cui in legitima vocatione ministerium verbi commissum est. Coniuncta enim sunt; officium docendi Euangelium, & administrandi Sacramenta. Nec homini priuato, etiam in casu necessitatis, baptizare licet, cum nulla sit necessitas, quæ nos cogat præscriptos à Deo ordines vio-

c Math. 28. 19 Hebr. 5. 4.

violare [a]. Ministerij vero huius Ecclesiastici vis atque dignitas, non pendet à qualitate Ministri, sed ex Dei illud instituentis potentia & veritate. *Sacramenta enim vera sunt, propter Deum verum, cuius sunt,* inquit Augustinus. a 1.Cor.14. 34. 1.Tim.2.12.

MATERIA Baptismi duobus modis considerari solet, vel qua Baptismum constituit, vel qua recipit; illa Partium, hæc subiecti seu obiecti propriè, rationem habet.

MATERIA *Baptismum constituens* duplex est; prout duæ sunt illius partes, vna *externa & visibilis*, altera *interna & spiritualis*, illa signum, hæc signatum propriè dicitur.

Signi nomine, id omne intelligitur quod sensibus externis, in pura, legitimaque Baptismi administratione percipitur, siue Elementum sit, siue actio seu Ritus, congruens ad institutionem diuinam.

Elementare signum in Baptismo, Aqua est [b]; non oleum, non sal, non sputum, &c quia nec mandatum Christi, nec exempla Apostolorum, nec Iudicium veteris Ecclesiæ, præter aquæ elementum, rem aliam substantialem in Baptismo admittunt. b Act 10.47 Ephes.5 26.

Signum Ceremoniale, quod in actione consistit, est Immersio seu Aspersio; vtraque enim notatur voce Baptismi [c]: Licet vero ritus Sacramentalis in particularibus circumstantijs, secundum Charitatem & necessitatem dispensetur, & moderationem ferat, meritò tamen, Exorcismum & Aquæ consecrationem reijcimus, c Ioh.3.29. Mat 3.16. Luc.11.38 Marc.7.4.

mus, cùm quod cũ ſuperſtitione coniuncta ſint, tum quod Baptiſmi actionem deturpent & maculent.

Res ſignificata duplex eſt. Communis vna, altera ſingularis. Illa in doctrina de Sacramentis explicata eſt, hæc vero ſi eſſentialia Baptiſmi ſignificata ſpectes, ad tria capita commodè referri poteſt. Primum eſt *Sanguis Chriſti* ad Remiſſionem peccatorum; qua fit, vt nec gemina illa impuritas, nec ipſius fructus, id eſt, peccata actualia nobis imputentur [a]: Alterum eſt *vis eiuſdem ſpiritualis & diuina*, quâ regeneramur per carnis mortificationem & vnificationem Spiritus, hæc enim iuxta formulam Fœderis exigit Deus, ab ijs omnibus, quicunque ſigno Fœderis initiantur [b]. Tertium eſt *Vnio & Coniunctio* cum Chriſto arctiſſima, qua fit, vt perſonæ, Meriti, & Beneficiorum ipſius, fiamus participes [c].

a Marc.1.4. Luc.3.3. Act.2.38. Act.22.16. Eph.5.25.26

b Rom.6.3.4 Tit.3.5.6.

c 1.Cor.12.13. Gal.3.27.

MATERIA *Baptiſmum recipiens* ſunt omnes & ſoli, qui probabiliter in Fœdere cenſentur. Cenſentur autem tum adulti, qui principijs Fidei initiati, ad Eccleſiam accedentes, fidem ſuam & pœnitentiam, apud homines profitentur; tum infantes, qui vt communionis fœderis ex formula & promiſſione addita [d]: ita & ſigni communionis, ac fœderis ſigilli, participes ſunt [e].

d Gen.17.1.

e Gen.17.12 Leuit.12.3.

Adde, *Primò*, quod vt promiſſionis diuinæ in Chriſto & Eccleſia ipſius: ita & ſignorum Sacramentalium, quæ promiſſionibus

nibus obſignandis inſtituta ſunt, conſortes ſentiantur[a].

a Act.2.38. 39.

Secundò, quod vt virtute Spiritus id totum habent quod eſt ſignatum: ita à ſignorum participatione illos excludi nefas ſit[b]. *Tertiò*, quod vt in Eccleſiam inſeri, ac ab infidelibus diſcerni fidelium liberos oportet, ita & initiationis ſigno, & diſcretionis nota illos communicare neceſſe ſit[c].

b Gen.17.7. 1.Cor.7.14.

c Act.2.39.

Denique & Circumciſionis Typus (in cuius locum ſucceſsiſſe Baptiſmum demonſtrat, alterius ad alterum Anagoge d) & factum Chriſti, pueros benedictione ac precibus Deo Patri ſuo conſecrantis[e]: & exemplum Apoſtolorum, totas familias baptizantium, horum baptiſmum abunde confirmant.

d Col.2.11. 12.

e Math.13. 14.15.

FORMA quæ Baptiſmum informat, ſecundũ eſſentiam & internam rationem ipſius, eſt Relatio analogica & ſacramentalis, ſignorum & rerum ſignificatarum in Baptiſmo: quæ relatio in Significatione, Obſignatione, & Præbitione maximè conſiſtit.

Significatione, Nam conuenientiſsima analogia, & aqua Baptiſmi, ſanguinem Chriſti ſignificat, & merſio ſeu aſperſio mortem veteris, emerſio vero vitam noui hominis: & denique communio Baptiſmi fidelium cum Chriſto: arctiſsimam vnionem ipſorum cum illo[f].

f Act.22.16. Epheſ.5.26. Tit.3.5.6. 1.Joh.1.7.

Obſignatione, quia & veritas ſimilitudinis inter ſignum & ſignatum confirmatur, & efficacia coniunctionis vtriuſque in legitimo vſu obſignatur.

Præbitione, quia quæ significãtur in Baptiſmo, fidei reuera præbet Deus per Baptiſmum, non ex opere operato, ſed Sacramentaliter, tum quod ea mentibus credentium, tanquam viſibilia exhibeat, tum verò quod nos certos reddat, reuera præſtari, in anima; quod ſigno viſibili monſtratur & promittitur [a].

a Act. 2. 38. Rom. 6. 4. Gal. 3. 27.

Atqui propter hanc ſacramentalem Signi & Rei conuenientiam & relationem, ac certitudinem perceptionis ſignati, Nomina & Proprietates, tum ſigni, tum rei ſignatæ, permutantur, familiari ſacræ Scripturæ Metonymia; hinc Baptiſmus, *Lauacrum regenerationis* [b], noſque *ſaluos facere* [c], non rarò dicitur in Scripturis.

b Tit. 3. 5. & 6.
c 1. Pet. 3. 21

FINES Baptiſmi duplices ſunt, alij *Primarij* & *Antecedentes*, alij *ſecundarij* & *conſequentes*, quorum illi, Fidem noſtram apud Deum, hi vero confeſſionem noſtram apud homines, propriè ſpectant.

Priori modo, Baptiſmi finis eſt ſignificare, obſignare & præbere ſacramentaliter peccatorum remiſsionem, beneficium Regenerationis, & Vnionem cum Chriſto.

Remiſſionem peccatorum, licet enim peccatum, propter ſtatum naturæ, maneat quoad morbum ſiue radicem peccati, ac materiam ipſam, tollitur tamen propter ſtatum perſonæ, quoad reatum, ſiue formam, quę non imputatur fidelibus: hinc dicitur, *dari Baptiſmus in remiſſionem peccatorum* [d].

d Act. 2. 38. & 22. 16.

Beneficium regenerationis, quia ipſi Chriſto inſiti

insiti per Baptismum, in naturam eius mutamur, & simus diuinæ eius naturę participes; qua de causa *Lauacrum regenerationis* vocatur [a].

Vnionem cum Christo, hinc enim dicimur, *baptizari in Christum* [b], *inque nomen Christi* [c]: per baptismum *sepeliri cum Christo* & *baptizari in eius mortem & resurrectionem* [d].

Posteriori modo, Baptismi finis est, *Primò* vt sit testimonium nostræ pietatis & obedientiæ Deo debitæ, cum Gratiarum actione [e]. *Secundò* vt sit signum discernens Ecclesiam cum suis membris à profanis gentibus. *Tertiò* vt sit vinculum communionis Ecclesiæ, & reciprocæ eorum charitatis, qui eodem Lauacro tinguntur.

Ex hac Causarum consideratione duo deducuntur Consectaria. Vnum de *Necessitate*; Alterum, de *Effectu*, & *Efficacia Baptismi*.

Necessitatem, duo circumscribunt, *Institutio diuina*, & *conditio baptizandi*.

Institutionis diuinæ scopus, non est, aut signatum signis, aut Homines Sacramentis, necessitate absoluta alligare, vtpote cum Deus, immediata, extraordinaria actione, rem signatam dum vult, & quibus vult conferat: Nec simplex priuatio, sed contemtus Sacramenti (qui nec in infantes, nec in adultos omnes cadit) nocere possit; sed pro libertate voluntatis suæ, signatum obsignare in ijs, qui signorum vsum percipere & possunt & debent.

Baptizandi, aut adulti sunt, aut Infantes: *Adulto* necessarius est Baptismus, ad salutem, duo-

a Tit. 3. 5. 6.
b Gal. 3. 27.
c Mat. 28. 19
1. Cor. 1. 12 13.
d Rom. 6. 3. 4
e Ioh. 4 1 Act. 2. 41

bus modis; aut *voto & voluntate*, si non concedatur facultas, lauacrum aquæ suscipiendi: aut *reipsa & facto*, si facultas concedatur. Fides enim coniunctum semper habet studium obedientiæ *Infanti* necessarius est baptismus, non simpliciter ad inuisibilē, sed secundùm quid ad visibilem insitionem ipsius, in Christum & corpus Ecclesiæ: quam si articulus necessitatis excludat, inuisibiliter sine baptismo impletur, quod alias in Baptismo visibili demonstratur.

Effectus Baptismi non sunt; aut deletio omnis culpæ & pœnæ, aut collatio Gratiæ ex opere operato; aut denique impressio indelebilis Characteris, sed ijdem sunt, qui fines illius supra explicati: quorum omnium effectuum *efficacia*, non baptismo externo, aut elemento aquæ ascribitur: sed sanguini Christi & baptismo interno Spiritus, qui occulta operatione, gratiam illam inuisibilem confert, quæ externo Baptismo figuratur.

DE BAPTISMO,
PARS Ἀνασκευαστικὴ.

I.

DVpliciter vox Baptismi sumitur in Scripturis, propriè & figuratè. Propriè duo significat: primò, Immersionem in aquam: secundò simplicem quamuis ablutionem: Atque hac significatione κατ' ἐξοχὴν, primum Noui Testamenti Sacramentum, Baptismus dicitur: Figuratè quatuor significat, aut per Allego-

riam

riam, diluuium aquarum, & tranſitum per mare, & commorationem ſub nube : aut per Metaphoram, crucem ac extremam quamque afflictionem, aut per Metalepſin, effuſionem donorum Spiritus : aut denique per Synecdochen totam Iohannis doctrinam, totumque eius miniſterium.

I.

Baptiſmus ſpecie vnus eſt : modo tamen conſiderandi duplex, externus & internus : ille aquæ, hic Spiritus & ſanguinis ; quæ tria, quia ſcilicet partes ſunt totius baptiſmi, à ſingulis, ſingula tria baptiſmatum genera oriuntur, Fluminis, Flaminis & Sanguinis.

Pro Cauſa Efficiente, ſeu Baptizante Miniſtro, ac primo Iohannis Baptiſtæ, & reliquorum miniſtrorum vnum eundemque eſſe Baptiſmum ; contra Bellar. lib. 1. de Sacra. Baptiſ. cap. 20. 21. & 22.

Diſtinctiones.

I.

QVEM baptiſmum Scriptura docet diuino mandato adminiſtratum, Luc. 3. verſ. 2. & 3. eſſe de cœlo, Math. 21. 25. & quem Phariſæi renuentes, dicuntur ſpreuiſſe conſilium Dei Luc. 7. 30. 15. baptiſmus ab ipſo Iohanne non poteſt dici inſtitutus. Quod vero Baptiſmus Iohannis dicitur, diſtinguit inter miniſteriũ ipſius Iohannis, & magiſterium Chriſti.

II.

II.

Inuocatio Trinitatis, aut ſecundum ipſa formalia verba exprimitur in ſcripturis, aut ſecundum ſenſum & veritatem. Illa, etiamſi in adminiſtratione Baptiſmi Iohannis non exprimantur, tamen Inuocationis ſenſum ac veritatem, plurium argumentorum conſequentia, abunde euincit, hinc enim Iohannes dicitur bāptizaſſe in Ieſum Chriſtum, Act. 19. 4. & prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, Marc. 1. 3.

III

Tempus inſtitutionis Baptiſmi, non à Chriſti reſurrectione ex mortuis, aut à baptiſmo ipſius in Iordane, ſed à tempore manifeſtationis in carnem ſupputari debet, à qua, tempus Noui Teſtamenti, initium ſuum ſumit ordinarie.

IIII.

Differentia Baptiſmi, alia eſſentialis eſt, alia accidentalis, illa ſecundum ſubſtantiam, & effectum: hæc ſecundum circumſtantiam, & modum patefactionis Chriſti: Duæ verò ſunt Cauſæ cur inter ſuum, & Chriſti Baptiſmum diſtinguat. Prior vt notet differentiam inter Baptiſmum externum aquæ & Baptiſmum internum Spiritus: altera, vt diſtinguat inter Perſonam & Officium ſuum, & inter Perſonam & Officium Chriſti. Adde, quod Baptiſmus Spiritus, de viſibili dono miraculorum in Apoſtolos effuſo accipiatur, prout docet locorum parallelorum collatio. Act. 1. 5. & 11. 16. quod

vero

vero in futuro dicitur. Enallage temporis eſt frequentiſsima in ſcripturis.

V.

Qui Patres de diſcrimine vtriuſque Baptiſmi egerunt, aut de circumſtantijs & modo patefactionis Chriſti egerunt tantum, non de ſubſtantia aut efficacia. vt Origenes, Iuſtinus, Nazianzenus, Chryſoſt. Cyrillus: aut de Baptiſmo ſiue externo Iohannis, ſiue interno Chriſti, ſeparatim, vt Baſilius, Tertul. Cypria. Hieronimus: aut humanitus à veritatis tramite aberrarunt, vt Auguſtinus.

VI.

Officium Iohannis Baptiſtæ, duobus modis diſtingui debet, vno quo docendi & baptizandi munus acceperat à Deo: altero, quo ſingulariter præcurſor Meſsiæ in Scripturis vocatur: Priori, miniſterialiter prædicatione & Baptiſmo ſalutē obſignabat, & conferebat; poſteriori, veri Baptiſmi verum, & vnicum authorē præmonſtrabat Chriſtū: vtroq; modo eadem Baptiſmi Iohannis, & reliquorum vis & efficacia euincitur.

VII.

Collatio vtriuſque baptiſmi, reſpectu tum perſonæ tum Officij Iohannis, & Chriſti inſtituitur: non eſſentiæ, aut effectus: Nec diuerſus externus Baptiſmus: ſed in vtriuſque adminiſtratione, differentia indicatur inter externum Iohannis, & internum Chriſti Baptiſmum.

VIII.

A coniectura, quantumuis veriſimili, cuius tamen nullum in Scriptura extat teſtimonium, non

non valet conſequentia. Deinde ex vſu ſcripturæ per Synecdochen, pars vſurpatur pro toto. Adde quod Lucæ. 7. Scribæ & Phariſæi non baptizati, à Iohanne excipiantur.

IX.

Acto. 13. verſ. 3. 4. & 5. Verba Pauli loquentis, à verbis Euangeliſtæ, hiſtoriam illam narrantis diſtinguenda ſunt: prout ex proprietate duarum in Græca lingua vocularum, μὲν & δὲ confirmatur. Deinde quod negant auditum à ſe, an ſit Spiritus Sanctus, non de exiſtentia & hypoſtaſi Spiritus Sancti, ſed metonymicè de modo viſibilis effuſionis donorum Spiritus ſancti, intelligendum eſt. Adde quod ex ambigua ſignificatione vocis Baptiſmi nihil ſequitur. Nec enim Baptiſmus, aquam ſolum ſignificat, ſed aut rem baptiſmi, aut ipſam Iohannis doctrinam.

Diſtinctiones.

De Baptiſmo Laicorum: contra Bell. lib. 1. cap. 6. de Sacramen. Baptiſ.

I.

EXEMPLVM Zephoræ quæ circumcidit filium, quippe, vel temerarium & illicitum ſtultæ & iracundæ fœminæ, vel ſingulare factum, in conſequutionem trahi non debet. Placatus enim angelus fuit: quod circumciſus fuerit puer, non quod ipſa circumciderit.

II.

II.

Docendi munus, aliud est Ecclesiasticum, aliud domesticum, illud publicum, hoc priuatum: Ecclesiasticum, & publicum, ad eos solos pertinet, qui vocationem habent in Ecclesia: Domesticum & priuatum ad eos omnes, qui tanquam membra Ecclesiæ ex Lege Charitatis, tenentur bono totius Ecclesiæ, & singulorum membrorum, consulere. Non valet autem conclusio à publico docendi munere, ad priuatum, cum illud vocationis sit singularis; hoc vero vocationis communis, omnium Christianorum.

III.

A personis publicis, & quibus nonnunquam administrandi verbi munus imponebatur, ad Laicos non valet conclusio. Adde quod Baptismi administratio in ecclesia primitiua duplex fuerit: vna Immediata per ipsos Apostolos, altera mediata per Diaconos, qui non ex se, sed ex iussu Apostolorum baptizabant.

IIII.

Quæ citantur testimonia Patrum & conciliorum, aut aliena sunt: vt Tertulliani, qui Laicis, ius baptizandi tribuit, non absolutè, sed ex suppositione, inuersi ordinis in Ecclesia. Ambrosij, qui agit de extraordinaria functione Diaconorum in primitiua Ecclesia, & ordinaria ministrorum in Ecclesia, quæ subsequuta est. Augustini, qui nihil definit, sed dubitanter quæstionem proponit: aut falsa sunt, Concilij Carthaginensis quarti, quod Canone 100.

contra-

contrarium expreſſe ponit & ſtatuit. Niceni, quod de baptiſmo hæreticorum, quorum diuerſa ratio eſt, non autem de baptiſmo Laicorum agit: aut denique teſtimonijs aliorum Patrum & Conciliorum confutantur, vt Chryſoſtomi, Epiphanij, &c.

Pro Materia Baptiſmum recipiente ſeu Pædobaptiſmo.

I.

AB ijs quæ ſpeciatim certis conditionibus & circumſtantijs perſonarum & temporum, dicta aut acta ſunt, ſimpliciter, & generatim concludere eſt inconſequens.

II.

Credere, quoad præſentem controuerſiam, accipitur bifariam: actiue cum ex auditu verbi adulti fidem in Chriſtum habent: paſsiue & imputatiuè cum propter fœdus & promiſsionem diuinam iuſtitia fidei infantibus imputatur.

III.

Fidei duplex actus eſt: primus & ſecundus, ille quo fides eſt, hic quo fides operatur. Fidem habent infantes in actu primo, non ſecundo, in ſemente, non in meſſe: imputatione Iuſtitiæ, non operatione: occulta Spiritus virtute, non externa demonſtratione.

IIII.

Diuerſæ ætatum circumſtantiæ non dirimunt Fidei vnitatem, & promiſsionis naturam: vna enim, eademque fidei iuſtitia obſignatur in parentibus, & in infantibus.

V.

V.

Vniuersale mandatum, includit particulare. Nec ad vnam tantum promissionis partem, dimidiumque semen adultæ ætatis restringendum est; quod ad omnes ex æquo pertinet.

VI.

A negatione specialis præcepti, non sequitur ad vniuersale interdictum.

VII.

Veritas doctrinæ, non tantum ex externis syllabis, sed ex consequentia & vi scripturæ totius ad proportionem fidei relata, erui & confirmari debet.

VIII.

A dissimilitudine temporis & personarum, diuersoque Dei ordine, erga adultos & infantes, non valet consequentia.

IX.

Confessio doctrinæ & fidei, non sunt propriæ & veræ Baptismi Causæ, sed tantum consequentes effectus.

Pro Necessitate Baptismi, contra Bellar. lib. 1. cap. 4.

EX æquiuoca vocis aquæ significatione, nihil sequitur; sumitur enim non tantum pro externo elemento, sed etiã pro Spiritus Sancti operatione, quę Exgeticè in Scripturis ita explicari solet. Deinde necessitas, quam infert Christus, non tam signo, quam rei signatæ ascribenda est; adde quod baptismus aquæ, secundum

dum quid neceſſarius dicitur, ijs, qui eo vti & poſſunt, & debent.

II.

Teſtimonia Patrum & Conciliorum, quædam male citantur, vt Concilij Carthaginenſis & Mileuitani ex Auguſtino; agunt enim Concilia contra Pelagianos, qui tunc temporis pædobaptiſmum negabant; quædam ſuſpecta ſunt, vt Concilij Tridentini; & teſtimonia pontificum.

III.

Infantes duobus modis conſiderari debent, vel ſecundum communem naturæ, vel ſingularem fœderis & gratiæ rationem; illo modo in peccato concepti ſunt, hoc vero, peccatorum remiſſionem, ex promiſſione conſequuti.

Pro effectis Baptiſmi, contra eundem cap. 4. & ſequentibus.

I.

PECCATVM inhabitans tollitur per Baptiſmum, tribus modis & gradibus. 1. quia non imputatur. 2. quia paulatim, corpus illius deſtruitur. 3. quia penitus morte tolletur vi eiuſdem ſanguinis Chriſti, quo, lauamur in Baptiſmo.

II.

Aliud eſt agere de Iuſtificationis Cauſa, aliud de illius inſtrumento: aliud denique de obſignatione. Cauſa meritum eſt Chriſti, inſtrumentum

tum est fides Obsignatio Baptismus.

III.

Scholasticorum recens & incertum commentum de Charactere indelebili, eadem facilitate negatur qua affirmatur. Præcipuè, cum nec Scriptura doceat, nec ratio necessaria demonstret, nec Patrum authoritas talem Characterē probet. Adde, quod præcipua ratio, quod Baptismus non iteretur; non est Characteris impressio, sed sola diuina institutio.

DE COENA DOMINI,
PARS Κατασκευαστικὴ.

ALTERVM Ecclesiæ Christianæ SACRAMENTVM, in perpetuum illius vsum, à Christo Immediatè institutum est, COENA DOMINICA, cuius licet variæ sint appellationes, tum in Scripturis, tum apud Patres (Dicitur enim in Scripturis, *corpus & sanguis Domini*, *Nouum Testamentum*, *Communio*, *Fractio Panis*, *Mensa Domini*, *Panis & poculum*, *Communicatio*, *corporis & sanguinis Christi*[a]: apud Patres, Græcos quidem, dicitur, Σύναξις, Ἀγάπη, Εὐχαριστία, Λειτουργία. Latinos vero, Oblatio, propter collectas: & sacrificium, propter memoriam sacrificij Christi) maximè tamen propriè hac COENAE DOMINICAE appellatione, res ipsa, commodissimè expressa fuit: *Cœnæ* quidem, tum rei, tùm temporis habita ratione, quia mētus, non ventris, conuiuiū sacrum, à Domino, idque

a Mat. 26. 28 Luc. 22. 20. Act 20 7 1. Cor 11. 25 1. Cor. 10. 21 2. Cor. 10. 16.

que vesperè institutum est. *Dominicæ* vero, respectu, tum authoris, qui Dominus est: tum finis, qui est memoria Domini. Definitur autem,

Noui fœderis Sacramentum, à Christo institutum, ex analogis signo & signato; & Analogica relatione ipsorū inter se, & actione cōstans; quo adulta Christi & Ecclesiæ ipsius membra, in legitimo visibilium signorum vsu instituuntur, de vera & spirituali, communicatione corporis & sanguinis Christi, ad vitam æternam.

CAVSA EFFICIENS Cœnæ Dominicæ, aut vt instituens, aut vt vtens & Administrans, considerari debet, illa principalis; hæc famulans seu administra.

Principalis ac instituens est Dominus, à quo Cœna Dominica dici consueuit, Christus nempe Διάθεμενος, solus Redemtor, Corporis & Sanguinis sui mysterium Instituens, quorum nos oblatione redemerat [a].

a Ro.15.18 2.Cor.11.23

Institutionis huius mysticæ, ac diuinæ, duæ sunt partes. *Factum Christi*; & *verba illius*: quorum illo, exemplum administrationis, his Doctrinam institutionis, concluſit ac reliquit.

Facti Christi, quo legitimæ λειτουργίας, seu administrationis ratio explicatur, tres sunt, partes: prout circa vtrumque symbolum, quod accepit Christus, actiones Sacras, & Ceremoniales, ex ordine adhibuit.

Prima est εὐλογία & εὐχαριστία, *benedictio*, & *Gratiarum actio*. Duobus vocabulis enim vtitur Scriptura, illo Math. & Marcus [b]; hoc Lu-

b Mat.26.26 Mar.14.22.

cas

cas & Paulus [a], vtroque vnum idemque significante, quomodo scilicet Christus, precibus ad Deum, Gratiarum actione, & tota illa Sacra actione, Panem & Vinum ad sacrum vsum præparauit, destinauit & sanctificauit, vt essent Sacramentum corporis, & sanguinis ipsius, non natura sua, sed diuina institutione. Atque hæc, vera illa est Sacramenti *consecratio*, seu, *sanctificatio*, de qua mentio fit apud Patres.

[a] Luc.22.19. 1 Cor.11.24.

Altera est *fractio panis, & vini in poculum infusio*, qua vsus est Christus, non tantum gratia diuidendi, seu distribuendi, sed mortis suæ repræsentandæ causa. Est enim essentialis & Sacramentalis, Cœnæ Dominicæ ceremonia, ad finem & formam illius pertinens [b].

[b] Mat.26.26 1.Cor.11.24 1.Cor.12.16

Tertia est *fracti panis, & vini infusi præbitio & distributio*. Nec enim dedit Christus discipulis, vt distribuerent, sed vt distributum acciperent [c], Erant quippe illi, in illa Cœna, non dispensatores mysteriorum Dei, sed Conuiuæ. Christus verò, vt conuiuator, eadem opera, instituit; ac suis manibus dispensauit Gratiæ suæ sacramentum, & simul sanctificauit ministerialem illius dispensationem.

[c] Mat.26.26 27. Mar.14.22. Luc.22.19.

Atque hæ actiones omnes Sacramentales, sunt, & σχετικῶς *considerari* debēt, quatenus significandis, & obsignandis spiritualibus rebus, ex diuina ordinatione adhibitæ sunt.

Hisce actionibus, (vt ad secundam institutionis partem veniamus) *verba* Christus adiunxit; quorum alia, *mandatum*, alia *promissionem*,

nem, alia denique *explicationem* includunt: Illa *præceptiua*, altera ὁριστικὴ & *Sacramentalia*, hæc denique ἐξηγητικὰ, in Scholis dici consueuerunt.

Præceptiua, ea sunt, quibus, & dispensatoribus, administrationis sue, & communicantibus, sumtionis necessitatem iniunxit, ac formam vtriusque vtriusque præscripsit. *Administrationis* quidem facto suo; de quo supra dictum est & mandato adiuncto imitationis [a]. *Communicationis* verò duplici; præcepto, vno *Accipiendi* altero *Comedendi & bibendi* [b].

a Mat.26.26 1.Cor.11.24
b Mar.14.22 Mat.26.26. 27.

Receptio est ritus Sacramentalis, accedenti ad mensam Domini, præscriptus, quo panem aut calicem ὑποδεκτικὴ manu accipimus; (Nec enim aut ex historia institutionis Cœnæ Dominicæ, aut ex forma discubitus Christi, & Apostolorum ipsius, colligi potest Christum in prima Cœna, singulis Apostolis signa illa in os indidisse) qua receptione, tum ipsius Christi, tum beneficiorum ipsius, spiritualis, per instrumentum Fidei, intra nos obsignatio declaratur.

Manducatio & bibitio, est Externus, & Sacramentalis, signorum, ex præscripto Christi, vsus & assumtio, qua interna & spiritualis corporis & sanguinis manducatio, & haustus ex ordinatione diuina obsignatur. Prout enim primò, duæ sunt personæ administrantes Cœnam; vna Pastoris, agentis, id quod exterius & foris agitur altera Christi, efficientis suo Spiritu, id quod interius fit; secundò duabus rebus

bus constat tota actio Cœnæ Dominicæ, vna terrena, corporea, & sensibus perceptibili; altera, cœlesti, spirituali, & menti fidelium intelligibili: tertiò duæ sunt hominis partes, corpus vna, altera anima: sic duæ sunt diuersæ præbitiones, & manducationes: vna externa, quæ sacramentalis dicitur: altera interna, quæ spiritualis: illa tamen à Christo instituta, vt sit huius expressa quædam effigies.

Verba ἐφικτικὰ & Sacramentalia ea sunt, quæ materiam internam seu rem significatam declarant, & eam siue de pane, siue de calice, sacramentaliter enuntiant. De pane quidem: *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur & frangitur*[a], de calice vero: *Hic est sanguis meus qui propter multos effunditur*[b]. a Luc.22.19. b Mat.26.28

Vtraque enuntiata duobus modis considerari solent: aut in singulis verbis seorsim & per se consideratis, aut in tota enuntiatione.

Seorsim considerata, aut *subiectum* denotant, aut *attributum*, aut *copulam*.

Subiectum est pronomen demonstratiuum, (*hoc*) non ad actiuè sed substantiuè sumtum. Nec enim Individuum aliquod vagum aut euanidum significat, sed panem ipsum quem Christus accepit, fregit, & discipulis dedit: & vinum quod manibus suis tenuit, prout textus series[c], Paulina interpretatio[d], & Analogia fidei demonstrant. c Mat.26.26. 27.&c. d 1.Cor11.24 25.&c.

Attributum in prima Enuntiatione, est *Corpus Christi*: non mysticum, quod Ecclesia est, sed proprium, & verum; quod pro nobis traditur

&

& frangitur, idque quà tale : in ſecunda, eſt *Sanguis Chriſti*, qui pro nobis effunditur, iſque quà talis, prout alterum horum attributorum membrum, quod per ἐνάλλαγὴν temporis præſentis, pro futuro enuntiatur, euincit luculentiſſimè.

Copula, qua attributum cum ſubiecto nectitur, eſt verbum ſubſtantiuum EST, quod non ὑπαρκτικῶς & ſubſtantialiter accipi debet, aut poteſt; cum nulla prorſus ratione, diſparatum de diſparato, propriè & eſſentialiter dici queat; ſed Figuratè pro eſſe myſtico, & Sacramentamentali, quo res quæ ſignificat, accipit nomen eius rei, quam ſignificat, propter Analogiam vnius ad alterum. Nec enim vocula illa docuit Chriſtus, quid panis & vinum eſſent natura & ſubſtantia; ſed quid eſſent ſignificatione, officio, & vſu: Natura quippe, ſunt Panis & Vinum, ſignificatione, ſunt corpus & ſanguis Chriſti.

Tota Attributio ſeu Prædicatio, non propria eſt, ſeu Regularis, cum neque Identica ſit propoſitio; neque propriè de pane, corpus dici poſſit; (vt pote cum Chriſti corpus, neque genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, neque Accidens panis ſit) ſed *Figurata & ſacramentalis*.

Figurata quidem non ſimpliciter Metaphorica, & Allegorica, ſed Metonymica, eiuſmodi ſcilicet, qua ſigno tribuitur nomen rei ſignatæ; quæ Metonymica loquutio, ſcripturis admodum familiaris eſt.

Sacramentalis, quia ſimul exhibitio rei ſignatæ promit-

promittitur, nec tamen ab ipso τῷ ῥητῷ discedi-
tur, cum τὸ ῥητὸν sacramentale retineamus
quod regularibus prædicationibus omnino
dissimile est, & interpretatione conueniente
ad naturam Sacramentorum, explicandum
est.

Ἐξηγητικὰ verba sunt, quibus finem sacræ
huius actionis exposuit Christus, *commemo-*
ratio scilicet mortis suæ[a], quæ non nuda aut o- a 1. Cor. 11.
ciosa est rei præteritæ recordatio; sed efficax 26.
& salutaris, meriti Christi apprehensio, &
κατ' ἰδίαν applicatio, & simul solemnis εὐχα-
ριστία, in huius Sacramenti vsu, propter tan-
tum beneficium, gratiarum actio. Atque hæc
est ratio causæ Efficientis principalis, seu
Cœnam instituentis, ac Institutionis ip-
sius.

CAVSA EFFICIENS ADMINISTRA seu instrumentalis, sunt Ecclesiæ ministri, legi-
tima ordinatione vocati, per quos Deus, vt in-
strumenta actiua, ea quæ interna operatione
Spiritus sancti in nobis efficit; externè per
symbola, panis & vini, nobis offert & repre-
sentat.

Horum instrumentorum, si *officium* spe-
ctes, est Cœnam Domini administrare, ijs
dispensationis ritibus, quibus ipsis exemplo
suo præiuit Christus: si *qualitatem*, modò of-
ficio in verbi Prædicatione, & Sacramen-
torum Administratione legitimè fungantur,
ea nihil addit, aut adimit efficaciæ Sacra-
menti, cum Sacramentorum, si considerentur

in ſeipſis, Authoritas, non à qualitate miniſtri pendeat, ſed Inſtitutione, veritate & poteſtate Chriſti.

MATERIA Cœnæ Dominicæ duobus modis conſiderari ſolet, vel vt Cœnam participans, vel vt Cœnam conſtituens. quarum illa ſubiecti, hæc Partium rationem habet.

MATERIA ſeu SVBIECTVM Cœnam participans, ſunt ij omnes, qui per baptiſmum Eccleſiæ membra facti, iam adulti, ſanam doctrinam profitentur, & ſanctæ vitę teſtimonium habent [a].

a 1. Cor. 11. 24. & 12. 13.

Ab huius, ſubiecti circumſcriptione, excluduntur; Primò *Mortui* ſeu iam defuncti, quibus & Sacramento vtendi, facultas adempta eſt: & omnis illius vſus poſt hanc vitam inanis, & inefficax eſt; prout & prædicationis Euangelij, cuius Sacramenta appendices ſunt. Secundò *Ægroti* morituri. Nam communionem hanc, non priuatam, & domeſticam, ſed Eccleſiaſticam & publicam, Chriſtus eſſe voluit. Nec priuatio, ſed contemptus tantum illius, non communicanti nocet, quamuis de *Lapſis* & ex Eccleſia *Excommunicatis*, ac de Captiuis plectendis, iam reſipiſcentibus, alia forte habenda ratio. Tertiò *pueri ac infantes*. Eſt enim propriè loquendo Cœna, cibus firmiorum, grandiorum, non infantium; nec fidei ſuæ rationem dare, aut ſeipſos examinare poſſunt, quod tamen neceſſum eſſe, veriſimiliter probat forma, & finis inſtitutionis Dominicæ, & traditio. Quartò,

tò, qui propter hæresim, vel propter dissolutam vitam excommunicati sunt legitimè: Requirit enim hæc Cœna, conuiuas dignos, qui Christo viuant, spiritu & fide, vnde Abstenti & Pœnitentes, olim concione habita, egredi iubebantur.

MATERIA sacram Cœnam constituens duplex est: vna, *terrena, externa, elementaris, Visibilis*: Altera, *cœlestis, interna & spiritualis*: quarum illa *signum*, hæc *signatum* vulgo dicitur.

SIGNI nomine id omne intelligitur, quicquid sensibus externis, in pura legitimaque Cœnæ Dominicæ administratione percipitur, siue *Elementum* sit & substantia corporea, siue *Actio* seu *ritus*, congruens ad institutionem diuinam.

Signa Elementaria (de ritibus enim in causæ Efficientis explicatione dictum est) duo sunt, PANIS & VINVM: quæ duo, licet materialiter distinguantur, formaliter tamen & perfectiuè (vt loquuntur Scholastici) vnum efficiunt Sacramentum. Efficiunt autem ita, vt *nec plura, nec pauciora*, ad integritatem seu perfectionem huius Sacramenti requirantur. *Non plura*, quia omnis refectio ijs perficitur, & nostra in Christo perfecte designatur. *Non pauciora*, quia vno deficiente, tollitur perfectæ refectionis Sacramentum.

Atque in hoc defectu peccatur, Elementorum mutilatione, aut communione sub vna tantum specie; contra *Dominicam institutionem, Traditionẽ Apostolicam, Sacramenti finem*

& dignitatem, ac demum *Orthodoxum antiquioris Ecclesiæ consensum*.

Institutionem Christi. Nam siue *factum Christi*, & Apostolorum respicias, in prima Cœna; vtrumque datum, vtrumque receptum est; *siue verba*, præceptiua quidem de vtroque mandatum includunt; *Accipite & bibite*: ἐφικτικῶς de vtroque, Pane & vino enuntiantur, *hoc est corpus meum, & hoc est sanguis meus*: ἐξηγητικῶς, vtrimque promissionem propo-
a Mat.26.28. Marc.14.24. Luc.22.20. nunt [a].

Traditionem Apostolicam. Toti enim Ec-
1.Cor.11.25. clesiæ Corinthiacæ, ex authoritate Domini, iniungit Apostolus & panem comedendi, & vinum bibendi necessitatem, quam παράδοσιν non vni sæculo, sed omnibus obseruandam proponi, textus consequentia facile euin-
b 1.Cor.11. 25.26.&c. cit [b].

Sacramenti finem & dignitatem. Finis enim est perfectam nostri in Christo refectionem, quæ alterius signi mutilatione, imperfecta redditur, obsignare. Dignitas vero, gratiam illam fœderis, luculentiori modo proponere, quam in veteri Testamento, proposita fuit ijs, qui omnes æquè de agno Paschali, & de aqua ex petra participarunt, prout docet historia &
c 1.Cor.10. 1.2.&c. applicatio Paulina [c].

Orthodoxum antiquioris Ecclesiæ consensum. Tota enim illa vetus & purior Ecclesia, sensit communicationem vtriusque speciei, non ad Clerum solum, sed æquè ad Laicos pertinere: Concomitantiam ignorauit, quæ ex

ex praua consuetudine, ἀυχαεισίας intinctæ, post annos mille ducentos & viginti nata est, & in Concilijs, Constantiensi, Basiliensi, & Tridentino postmodum confirmata.

PANIS & VINI autem nomine ea Elementa speciàliter, & propriè intelligimus, quæ istis nominibus apud nos designari ac denotari solent. Pura scilicet & vulgaria; *Pura*, ne misceantur inter se vel confundantur, seu intinctione panis in vino, seu adiectione cum vino. *Vulgaria*, vt sint qualia sunt in vsu communi, ne scilicet ex materia, colore, vel sapore istorum signorum, vlla gignatur in animis superstitio.

RES SIGNIFICATA seu Materia, *interna & spiritualis* in Cœna Domini: *Proxima* quidem, & primaria, est *Corpus ac sanguis Domini*, Illud quâ crucifixum seu fractum, hic quâ effusus. *Secundaria* vero, arctissima Christi nobiscum per fidem copulatio, cuius interuentu, personæ ipsius Christi, & omnium beneficiorum eius, simus participes.

Primaria est, corpus & sanguis Domini, tum quoad *substantiam*, tum quoad *substantiæ attributa* singularia.

Quoad substantiam quidem, quia corporis & sanguinis Christi veri ac Essentialis, simus participes[a], licet modo percipiendi spirituali. Etsi enim Cœna manducatio est corporis, non tamen est corporalis, sed spiritualis; non Essentiæ respectu, sed communicandi mo-

a 1. Cor. 10. 16.

do, & efficacia ſpirituali nutriendi. Spiritus enim hominis, fide ſola, corpus & ſanguinem Chriſti percipit, & ijs realiter, (eſt enim actionibus ſpiritualibus etiam ſua realitas) efficacitate Spiritus ſancti, alitur ad vitam ſpiritualem.

Nec vero Chriſtum ipſum totum [a], à Cœna excludimus, cum corporis & ſanguinis denominatione, ſynecdochicè tota Chriſti humanitas, imo tota eius Perſona intelligatur; quia nec humanitas ſine diuinitate, nec diuinitas ſine humanitate, nec vtraque ſine communi ſuppoſito, mediatrix eſſe poſſit; cuius Synecdoches ratio eſt, quia licet vnus & idem ſit, qui paſſus eſt pro nobis, Chriſtus, Deus & homo, paſſus tamen non in ipſa diuinitate, ſed in carne. Ideirco enim (vt inquiebat Auguſt.) natus eſt Chriſtus, vt homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberaret.

a Gal.3.27. Rom.6.3.

Attributa ſingularia huius ſubſtantiæ, ſunt corporis quidem *crucifixio*, ſanguinis vero *effuſio* [b], & coniunctus cum his, Meriti ſacrificij Chriſti fructus; Remiſſio peccatorum, Sanctificatio ac Redemptio. Vnde in Scripturis tota Chriſti obedientia, & ex ea emanantia beneficia omnia, vno mortis vocabulo, ſignificari conſueuerunt [c].

b 1.Cor.11.14. Luc.22.19.20

c 1.Ioh.1.7. 1.Pet.1.19. Math.20.28.

Secundaria res ſignificata in Cœna, eſt arctiſſima omnium noſtrum in vnum corpus myſticum, tum cum Chriſto, tum inter nos, vnio & coniunctio [d]. Nam vt ſancto, eiuſdem

d 1,Cor.10.16.17.& 12.13.

Fidei

Fidei & fraternæ charitatis vinculo, inter nos deuincimur, tanquam eiusdem corporis membra; ita per veram corporis Christi manducationem, arctissimè cum ipso coniungimur, & ab ipso seu à capite, vita ad nos, tanquam ipsius membra dimanat [a]. a Ioh.6.57. Gal.2.20.

Huius vnionis interuentu fit, vt tum beneficiorum Christi, tum substantiæ ipsius fiamus participes. *Beneficiorum quidem*, tam quæ per solam imputationem, quàm quæ per realem efficacitatem nobis conferuntur; *Substantiæ* verò ipsius, quia beneficia omnia, & vis illa viuifica, quæ animas nostras sustentat in vitam æternam, non possunt à corpore & sanguine Christi, cui inhærent, adeoque ab ipso Christo diuelli, non magis quam effectum à sua causa continente, aut qualitas à subiecto à quo emanat.

FORMA Cœnæ Dominicæ, Interna quidem & Propria, est coniunctio signorum, & rei signatæ, non Naturalis siue per substantialem contactum & connectionem, siue per Accidentium & subiectorum vnionem: Non localis, per Indistantiam aut Inexistentiam, vnius in altero; sed Relatiua & Sacramentalis: tota in eo posita, vt ex diuina ordinatione, verbo sacramentali declarata, signa & res significatæ, vnum quiddam sint, non numero, non specie, non genere; sed Analogia & reciproca inter se Relatione.

Hæc Relationis coniunctio, in tribus maxime consistit, in Significatione, Obsignatione,

& rei ſignificatæ ac obſignatæ Præbitione.

Significatione, propter Analogiam ſeu ſimilitudinem Proprietatum, & Effectuum ſigni & ſignati, tum in ipſis *ſubſtantijs*, tum in *ſubſtantiæ attributis* ſingularibus.

In *Subſtantijs*, Habent enim magnam inter ſe cognationem; quia prout panis & vinum, aptiſsimum & potiſsimum ſunt nutritionis carnalis inſtrumentum: ita, & corpus ac ſanguis Chriſti vnicum ac ſolum animarum eſurientium ferculum; vnde à Iohanne prolixè demonſtratur Carnem Chriſti verè eſſe cibum, & ſanguinem ipſius verè eſſe potum, quem qui comederit, & biberit, nec eſuriat, nec ſitiat vnquam [a]: & nomina ſignorum, ac rei ſignatæ vltrò citróque permutari; loquutione ſacramentali, vſitatiſsimum eſt in Scripturis [b].

a Ioh 6.31. 32.&c.

b Exod 12.11 1.Cor.5.11.

In *ſubſtantiæ attributis ſingularibus*. Nam & fractio panis, & vini in poculum infuſio, mactationis corporis Chriſti, & ſanguinis ipſius effuſionis, veritatem, vim, ac efficaciam myſticè nobis ob oculos ponunt, & repræſentant, quippe quibus Chriſtum quaſi in cruce, maximis cruciatibus contuſum, ac confractum, & tanquam adhuc ſanguinis grumos ſtillantem, fideles, mentis oculis intuentur [c].

c 1.Cor.11. 24. Eſai.53.3.

Obſignatione, quia panis & vinum, corporis & ſanguinis ſignacula, ſeu σφραγίδες ſunt, & dicuntur, tum quod veritatem ſimilitudinis, inter ſignum & ſignatum confirment, tum verò quod Efficaciam vnionis & coniunctionis

nis vtriusque, in legitimo vsu, certissimè obsignent. Nec enim simpliciter & propriè, quatenus sunt res Materiales, & substantiales, signum & signatum considerantur, sed vt res mysticæ, seu entia rationis, non quidem naturalis, sed diuinæ ordinationis: cum fides, signa, non in ipsorum natura, sed in sacramentali instistitutionis verbo considerans, ijs vtitur ad obsignandam rei significatæ communionem & fruitionem.

Præbitione, quia reuera præbetur id quod signis figuratur, sunt enim signa sacramentalia exhibitiua, quod ijs Christus, sese panem cœlestem, verè præbeat & exhibeat [a], animæ nostræ. Vnde in Cœna Domini, res maximè diuersæ, terrena & cælestis, ἅμα, id est, simul tempore, licet non ὁμοῦ, id est, simul loco, proponuntur & traduntur. a Ioh. 6. 55.

Nulla ergo in hac coniunctione, signorum mutatio est essentialis, vt siue per ἀνάλυσιν resoluantur in primam materiam, seu etiam in nihilum, siue per μεταβολὴν ἅπλην, ἢ μεθ' οὐσίαν conuertantur in substantiam veri corporis, & veri sanguinis Christi (Remotâ enim substantiâ & naturâ signorum, periret illorum affinitas, relatio & analogia ad rem significatam) sed tota est Sacramentalis, id est, qualitatis, seu conditionis, vsus, & finis elementorum.

FINIS Cœnæ Dominicæ duplex est: *primarius & secundarius*.

Primarius est, vt in legitimo signorum vsu, memoriam mortis Christi celebrantes, & de

communione noſtra cum illo, & nutritione in illo, ad vitam æternam confirmemur [a].

a Ioh. 6. 57. 1. Cor. 5. 8. 1. Cor. 10, 17

Secundarius, vt ſit Reſurrectionis noſtræ ſymbolum, Gratitudinis teſtimonium, Mutuæ charitatis pignus, ac demum Diſcretionis ac Profeſſionis nota publica.

Hanc DEFINITIONIS per Cauſas ἀνάλυσιν tria προβλήματα conſequuntur; vnum de PRAESENTIA. Alterũ, de COMMVNICATIONE. Tertium de ADORATIONE corporis & ſanguinis Domini.

PRAESENTIAM Chriſti in cœna, duplici ratione diſtingui & conſiderari neceſſè eſt; Primò ſecundum veritatem illius, deinde, ſecundum veritatis illius modum.

Veritas præſentiæ Chriſti in cœna (quatenus ſcilicet cœna Domini, non vt terrena tantum, ſed vt cœleſtis actio conſideratur) ea eſt, qua corpore & ſanguine ſuo, verè ac realiter in cœna adeſſe creditur, idque, tùm reſpectu *ſignorum*, tùm reſpectu *communicantium*.

Signorum. Nam corpus & ſanguis Chriſti verè præſentes ſunt, cum pane & vino ſignis Sacramentalibus, non reſpectu coexiſtentiæ & loci, ſed ratione ſacramentali; cuius reſpectu, præſentia hæc *Relativa* in Scholis vulgò dicitur.

Communicantium. Nam cordibus eorum, reuera præſens Chriſtus eſt qui credunt, eadem omnino præſentia, qualis & communio corporis ſui ipſis exhibetur in cœna [b], Atque

b Mat. 18 20

hæc

hæc præſentia *Realis* eſt, neutra tamen præſentia corporalis, nam fide (vt ait. Ambroſ.) tangitur Chriſtus, non corpore.

Huius veritatis Fundamenta duo ſunt. *Promiſſio diuina, & vnio ſacramentalis.*

Promiſſio, cum enim cœnam inſtituendo, corporis & ſanguinis ſui manducationem, eoque & præſentiam ſuam Chriſtus promiſerit: omninò quod promiſit perficere & præſtare Chriſtum credendum eſt a.

a Mat. 26. 26. Marc. 14. 22. 1. Cor. 19. 33

Vnio Sacramentalis; Nam Sacramentorum forma eſſentialis ac συσταικὴ requirit, vt in cœna res ſignificata non minus certò conferatur, quam ſigna ipſa præſentia offeruntur.

Modus huius veritatis non corporalis, naturalis aut localis eſt; ſiue per conuerſionem totius ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Domini: ſiue per impanationem, aut incluſionem localem; ſiue denique per inexiſtentiam, aut indiſtantiam: ſed *ſacramentalis* & *ſpiritualis* eſt, quem efficit Dei voluntas, & authoritas, verbo inſtitutionis declarata. *Sacramentalis*, quia, ex natura Sacramentorum, in habitudine & relatione poſitus eſt; qua Chriſtus, ſimul cum ſignis rem ſignatam communicantibus exhibet, & panem, vinumque ſanctificat, vt ſigna ſint rei ſignatæ, coniuncta vnione Sacramentali.

Spiritualis, quia corpus & ſanguis Chriſti, non ſimpliciter & quatenus ſunt in ſeſe res ſubſiſtentes, ſed intellectualiter & πνευματ

confi-

consideranda, in his mysterijs proponuntur, & menti, non corpori, fidei, non sensibus, mente quoque, & sola fide sumenda, præbentur.

Huius modi fundamenta tria sunt *Institutio, Corporis Christi veritas & ratio, & Sacramentorum natura.*

Institutio. Instituit enim Christus Sacramentum communionis nostræ cum ipsius corpore & sanguine cuius sumus per fidem spiritualiter participes. Non enim alio modo, præsens in Cœna exhiberi corpus Christi, credi potest, nisi quatenus verè percipitur, vt spiritualis animæ cibus ad vitam.

Corporis ratio & veritas. Cum enim Christi corpus nostro ὁμοουσίῳ in cœlo, vbicunque vult, circumscriptè sit, nec per modum inuisibilem, incircumscriptum, infinitum, indefinitum (qui modi omnes, & singuli, veritatem corporis euertunt) in terra esse possit; omninò Christum corporaliter in Cœlo, corpore tamen in Cœna, Modo sacramentali adesse fatendum est [a].

a Heb. 2. 17. Luc. 24. 39.

Sacramentorum natura. Fides enim periret in Sacramentis, si res ipsa quæ creditur alio modo præsens esset quam modo sacramentali [b]. Nec verò aut omnipotentia Dei, aut Miraculum, hunc sacramentalem præsentiæ modum, aut inuertunt, aut euertunt. Non *omnipotentia*; quia cum agitur de efficaci illa & actuali Dei omnipotentia, voluntatem Dei in verbo patefactam præcedere necesse est; cui si quid

b 1. Cor. 11. 27.

contra-

contrarium ſit, ab ea neceſſario excluditur, vt & quod natura contradictorium eſt: *Non miraculum*, quia, nec miracula, quæ quidem ἀντιφυσικὰ ſunt, ἀνηφυσικὰ dici debent, tollentia, ſimul & relinquentia ſubſtantiam, aut naturalem qualitatem, nec quod extraordinarium eſt, fieri in ordinario Eccleſiæ Sacramento, probabile eſt.

Atque hæc de PRAESENTIA corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna. De COMMVNICATIONE & manducatione videndum.

COMMVNICATIONIS corporis Chriſti, tum *fundamentum* tum *modum* conſiderari ac dignoſci neceſſe eſt.

Fundamentum eſt, Vnio in Cœna, eaque duplex. Vna corporis & ſanguinis Chriſti, cum pane & vino, quæ *Sacramentalis* dicitur & ad formam ſacramenti pertinet: altera eiuſdem corporis & ſanguinis Chriſti, cum credentibus, pertinens ad finem Sacramenti.

Prior in duobus conſiſtit, in coniunctione ſigni & ſignati, de qua dictum eſt: & in coniuncta perceptione vtriuſque in legitimo vſu, quia ſimul in vſu inſtituto percipiuntur, licet non ſimiliter. Vtraque coniunctio non naturalis eſt, non corporalis, non denique ſimpliciter obligatoria, ſed Sacramentalis, qua ſignatum ſigno, & res Sacramenti, Sacramento coniungitur, & coniunctè in vero, legitimoque vſu percipitur.

Poſterior

Posterior est, Essentialis, *Realis*, & *Spiritualis* communio nostra cum Christo [a]. *Essentialis*, si res quæ vniuntur, spectentur, *Realis* si veritas vnionis, *Spiritualis*, si modus quo fit vnio. *Res* quæ vniuntur sunt Christus & Ecclesia. *Veritatem*, vnionis nomen confirmat, & adumbrant similitudines variæ in Scripturis: *Modus*, non simpliciter intellectualis, aut vulgariter supernaturalis, sed planè spiritualis, diuinus, & cœlestis est, cuius τὸ ὅτι ex Dei verbo, tum simplici, tum sacramentali, nobis manifestatur; τὸ διότι vero, ita est, mysticum & arcanum, vt mysterium eius, ne angelus quidem comprehendere possit [b].

a Ephes. 3. 16. 17. & 5. 29 30.
1. Cor 6. 15. 17.
1 Ioh. 3. 24.
b Ephes. 5. 30. 32.

Ex hac duplici vnione, *duplex* exsurgit *Communicationis modus.*

Vnus, *Sacramentalis* seu externus signorum, qui fit, sumtione panis & vini, quatenus sunt ex instituto & ordinatione Christi, corporis & sanguinis ipsius sacra symbola: Prout enim corporaliter editur, & bibitur panis & poculum Domini [c] rita sacramentaliter, id editur & bibitur, cuius sacramentum sunt panis & poculum, eo plane modo, quo sacramentum corporis, corpus, & sacramentum sanguinis, sanguis vocatur, loquutione sacramentali. Atque hic manducationis modus, temporalis est, & iterari potest.

c 1. Cor. 11. 26.

Alter *spiritualis* est & mysticus, ipsa scilicet corporis & sanguinis Christi in veritate per spiritum perceptio, qua spiritualiter Christus nobis

bis applicatur, vt vnum cum illo facti, ſpiritu ipſius vegetemur, ad vitam æternam [a]. Atque ita ſpiritualis hæc communicatio, non fidem tantum, ſed & quæ fit per fidem, applicationem, ac cum Chriſto communionem ſignificat. Vnde alias, fides in Chriſtum, alias beneficiorum Chriſti communio, alias in Chriſtum inſitio, & incorporatio dicitur. Spiritualis autem, vocatur, tùm quia efficitur opera Spiritus Sancti [b], tùm quia fide tantum percipitur, tùm denique quia pertinet ad vitam ſpiritualem. Atque hic communicationis modus, aſſiduus eſt, iugis, & indeſinens.

a Ioh. 6 46. 48. &c.

b 1. Cor. 12. 13.

Ab vtroque, excludimus, corporalem & oralem, corporis & ſanguinis Chriſti communicationem in cœna: A primo; quia ſignum ore percipitur, non ſignatum: A ſecundo; quia res ſpiritualis, non niſi ſpiritualiter percipi poteſt.

ADORATIO ſeu ἀρπλατρία reſtat, quam ex falſo, tum Præſentiæ, tum communicationis, corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, ſuppoſito effinxit ſuperſtitio. Quamuis enim hoc Sacramentum, magna cum Religione ac reuerentia tractandum eſſe pij omnes meritò fateantur (quam reuerentiam, Patres aliquando, *Adorationis* nomine appellarunt) & Chriſtus ipſe adorandus ſit in myſterijs, tum quâ Deus, tum qua θεάνθρωπος: non tamen in ipſis ſymbolis conſiſtendum eſt aut fidei oculi ad locum panis, ſed ad cœlum erigendi ſunt [c].

c 1. Col. 3.

Hanc

Hanc Adorationem Pontificiam, *tùm in se*, tùm *in adiunctis ceremonijs* Idololatricam esse probamus variè.

In se tribus argumentis: à Causa, à Modo, & à Speciebus Adorationis sumtis: Cum enim Causa adorationis Christi propriè sit in Deitate, (nihil enim adorandum propriè, nisi quod est Deus) non potest cultus siue λατρεία, siue δουλεία ad ipsa symbola externa transferri, sine manifesto sacrilegio. Deinde cum Adorationis Christi modus requirat, vt nec Persona diuidatur, nec naturæ exæquentur, aut earũ discrimen tollatur, omninò non potest panis adorari, aut corpus in pane, quin aut naturæ & earum proprietates confundantur, dum præsentia corporis Christi in pane statuitur, aut quod humanæ naturæ non competit, nisi propter personam, non tantum illi simpliciter & secundum se, sed etiam Sacramento illius idololatricè attribuatur. Denique cum species adorationis duæ sint, Petitio, Gratiarum Actio, neutra ad panem, neque propriè neque sacramentaliter accommodari potest, cum vtraque Christo competat tanquam θεανθρώπῳ.

In Ceremonijs, idololatrica est, siue reliquiarum asseruationem, inclusionem, ac circumgestationem, siue Eucharistiæ eleuationem spectes. Licet enim in veteri Ecclesia harum Ceremoniarum initia quædam fuerint, cum tamen nec à Christo nec ab Apostolis præscriptæ fuerint, aut in vetustissima purissimaque

Ecclesia

Ecclesia obseruatæ: merito in Euangelicis Ecclesijs sublatæ sunt.

DE COENA DOMINI,
PARS Ἀναστυαγικὴ.

Distinctiones pro ETYMO *& Nominis significatione.*

I.

COENA Domini, vel signum significat, vel actionem, id est, vel relatiuè sumitur vel absolutè. Relatiuè sumta, significat, ipsa symbola seu signa gratiæ Dei. Absolutè, actionem totam significat, compositam ex visibili & corporali acceptione symbolorum, & inuisibili ac spirituali acceptione Christi, & beneficiorum eius.

II.

Cœna Domini consideratur, vel abstractè secundum se, vel applicatè in vsu legitimo, hoc modo sacramentum dicitur propriè: illo, non nisi abusiuè & impropriè.

III.

Quatuor, de Sacra Cœna loquutionum formulæ sunt, quarum prorsus eadem est sententia & intelligendi ratio 1. in qua rei significatæ nomen imponitur signo, vt Cœna est Nouum Testamentum 2. in qua res significata Cœnæ, respectu effectus & efficaciæ suæ, signo tribuitur, vt Cœna nos facit participes Noui Testamenti 3. in qua officia signorum, in propria significatione exponuntur, vt Cœna est signum

signum fœderis. 4 cum in legitimo Cœnæ vsu, Sacramentũ cum promissione gratiæ coniungitur. Vt qui dignè sumserit panem & vinum, manducabit corpus & bibet sanguinẽ Christi.

Distinctiones pro CAVSA EFFICIENTE *principali, ac primum pro subiecto prædicationis, contra Bellar. lib. 1. de Sac. Euch. cap. 10.*

I.

NEC pronomina demonstratiua & relatiua tam apud Græcos quam Latinos, semper, iuxta regulam, cum sequente substantiuo, sed interdum etiam cum antecedente, & contra nõ semper cum antecedente, sed etiam cum sequente conueniunt. Deinde res quæ tantũ nota est in vniuersali, non vero in particulari, prout erat panis in Cœna, per nomen vniuersale neutrius generis effertur vsitatissimè.

II.

Quæ tropicè intelligenda sunt pro natura Sacramenti, nõ debent, aut possunt propriè & simpliciter sumi. Geminus autem in enuntiatione de Calice Tropus est. Nam per Synecdochen poculum sumitur pro vino in poculo, & per Metonymiam Sacramentalem, effectus rei significatæ tribuitur signo.

Pro tota Prædicatione, ad caput. 9.

I.

SACRAMENTVM Veteris & Noui Testaméti, pro vt & Testamenta, pacta, ac fœdera, figu-

rutis

ratis verbis inſtituta eſſe, & præcepta figuratè enuntiata' inueniri, Scripturæ ſtylus euincit luculentiſſimè.

II.

A Figurata loquutione, Argumentum ad obſcuritatem illius eſt inconſequens. Nec enim ſi figuratum eſt, ideo non eſt perſpicuum, vel contra ſi perſpicuum eſt, ideo non eſt figuratum.

III.

Teſtimonia Patrum ſacramentaliter accipienda ſunt, id eſt, exponenda, ſecundum modum & tropum qui Sacramentis conuenit, vnde omnes verba Chriſti, non κατὰ τὸ ῥητὸν; ſed κατὰ διανοίαν explicanda cenſuerunt.

IV.

Τῷ ῥητῷ appellatio, ſeu verborum ſenſus, aliâs latiore, aliâs ſtrictiore ſignificatione ſumi. Strictiore in prædicationibus regularibus, latiore in figuratis, vnde in ipſis Cœnæ verbis, ipſum τὸ ῥητὸν retinemus ſed ſacramentale, in quo non tam litera & ſonus verborum, quam ſententia certa ſequenda eſt, quæ ſcilicet cum natura Sacramenti conueniat.

De verbis Conſecrationis contra Bellar. libro 4. cap. 13.

I.

VERBA inſtitutionis Cœnæ Dominicæ duarum ſunt partium; quædam Euangeliſtarum verba ſunt, quædam vero ipſius Chriſti. Illa

Illa non tantum vt historia recitantur, sed admonent tam ministros, quam communicantes, quid Christus fecerit, & quid vtrisque vicissim faciundum iusserit. Hæc vero Consecrationi seruiunt, ita tamen, vt nec cætera omitti, nec quatuor aut quinque tantum vocibus consecrationem circumscribi, aut denique preces & gratiarum actiones excludi oporteat, cum tam priora quam posteriora institutionis verba, consecrationem perficiant, nec occulta quadam vocularum illarum virtute, substantia Panis & Vini mutetur; sed contra, quæ Eucharistiæ consecratio fit, ἁγιασμὸς μετὰ εὐχαριστίας in scripturis vocetur.

II.

Apostolorum in prima illa Cœna, duplex fuit respectus. Vnus pastorum & mysteriorum diuinorum dispensatorum: alter vero Ecclesiæ seu vniuersi fidelium cœtus quem repræsentabant. In primo respectu, mandatum faciendi referri debet ad id omne quod fecerat Christus circa panem & vinum: in secundo, ad id omne quod in vsu legitimo Cœnæ Dominicæ communicantes facere oportet. Neutro autem modo, probatur Consecratio illa Pontificia.

III.

Consecratio nostra, & Christi, non differunt substantia, sed gradu: Quæ enim Christi est, nihil aliud est, quam Panis & Vini ad sacros & diuinos vsus destinatio: facta verbo institutionis, pro libera voluntate ipsius. Quæ vero nostra est, tota & in solidum pendet à vi, potentia, & ordi-

ordinatione diuinâ, non autem ab occulta verborum recitatione & murmuratione.

IIII.

Voluntas Christi, consecrantis, non separanda est à modo, seu ritu consecrationis sacramentali; quia, vt illa causæ Consecrationis est efficiens: ita & hic, illius materialis & formalis. Efficiente si respicias, consecrauit Christus sola voluntate: si materiale, & formale, consecrauit verbo solemni institutionis, & ijs dispensationis ritibus quibus ipse vsus est, & nos vti iussit.

V.

(*Hoc facere*) in institutione Cœnæ, non est signa seu symbola externa consecrare, sed illud totum agere, quod iusserat Christus agere discipulos. Nec verba hæc (*hoc est corpus meum*) enunciauit Christus, vt symbola consecraret (Enuntiauit enim post benedictionem & fractionem panis) sed vt rationem Sacramenti, discipulis suis explicaret.

VI.

Mutatio in Sacramento nulla fit, vi verborum, sed institutionis ac ordinationis diuinæ, & quæ fit, non fit in substantia, in quantitate, aut in qualitatibus naturalibus; sed in Relatione tantum, id est, in vsu & officio. Nec, aut consuetudo Ecclesiæ aliud euincit, quæ ἐκθέσεις, & ostentatione Eucharistiæ, non ad adorationem vsa est, sed vel vt populum ad communionem præpararet, vel vt ea ratione ex priuatorũ oblatione, pars quædam sepositа in peculiarem Sacramenti vsum, demonstraretur: aut mos Gręco-

corum, qui hunc eleuandi ritum, iam inde à principio ad hunc vsque diem, nunquam vsurparunt.

VII.

Quæ verba non sunt dicta supra panem, vel ad panem, sed ad discipulos communicantes, ea dici ad populum instruendum, non autem ad panem mutandum manifestum est: Nec repugnant aut antiquissimæ Λειτουργίαι, quæ verba Consecrationis cum tota actione Cœnę Dominicæ coniungunt: aut Patres, qui dum Eucharistiam fieri dixerunt, mystica prece, inuocatione nominis diuini, solemni benedictione, gratiarum actione, aut certa consecratione, nec ad sola illa quinque verba respexerunt, nec ijs panem Sacramenti consecrasse voluisse, mutatione aliqua substantiali, demonstrant luculentissimæ ipsorum expositiones.

Pro MATERIA COENAM DOMINICAM *constituente, ac primo contra Concomitantiam. Bellarmin. lib. 4. cap. 21.*

I.

AB hypostatica vnione Dei & hominis, & naturali Carnis & animæ, non valet argumentatio ad concomitantiam, quia aliud est agere de carne & sanguine, qua res sunt substantiales, & partes integrales humanæ naturæ, aliud vero, qua ex voluntaria & testamentaria dispositione Christi, nobis dantur in cibum & potum. Nec soluitur propterea hypostatica vnio

Dei

Dei & hominis, quæ soluta non est in morte, quantumuis anima, & sanguine à corpore separatis.

II.

Manducatio spiritualis, de qua solum fieri mentionem citato capite demonstrat series textus, distingui debet, à manducatione sacramentali, de qua quæstio est: Nec quod Synecdochicè de Manducatione dicitur, quibusdam in locis, excluſiuè debet sumi, cum & potus, alijs in locis creberrimò fiat mentio.

III.

Ex falsis, ambiguis & alienis principijs, falsa, ambigua, & aliena educitur consequentia. Primum autem principium falsum est: Nec enim agnoscimus vllam realem, seu visibilem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna. Tota respectu signorum sacramentalis est; respectu rei signatæ, merè spiritualis.

IIII.

Secundum principium, ambiguum est; quia, Corpus & sanguis Christi, duobus modis considerantur; vno quidem quâ sunt partes naturæ humanæ Christi, quæ tota indiuulsa, viuit gloriosa: altera, quâ in hac Cœnæ actione sacramentaliter nobis repręsentantur; quatenus scilicet & corpus in mortem pro nobis oblatum fuit in Cruce, & sanguis extra corpus effusus: verba enim Institutioni addita, disertè testantur, corpus & sanguinem Christi, vt res, in crucis sacrificio separatas, nobis in Cœna offerri & exhiberi.

V.

V.

Principium tertium, alienum est à quæstione: quia hic non agitur aut de omnipræsentia diuinitatis Christi, quæ ad species nihil pertinet, quia si præsentiam naturæ, intelligat aduersarius, æquè Christus erit alibi quam in Cœna, siquidem omnia replet: si præsentiam Gratiæ, nihil dicit, quod proprium est Pani, sed quod ad omnes fideles pertinet: aut de hypostatica vnione duarum naturarum, cuius tamen respectu nunquam dixerimus diuinitatē Christi esse cum humanitate ipsius per Concomitantiam, quia istud Nestorianum.

VI.

Qui Patres citantur, aut Synecdochicè loquuti sunt, per corpus, totam naturam humanam Christi intelligentes, vt Cyprianus, Hilarius, Ambrosius: aut de tota persona cuius in Cœna simus participes; vt Basilius, Hieronymus, Chrysost. Origenes, Nicena synodus; aut sacramentaliter de signo enuntiarunt, quod est proprium rei signatæ, vt Aug. Cyrillus tum Hierosolymitanus, tum Alexandrinus.

VII.

Corpus Christi sub specie Panis sacramentaliter nobis in Cœna offertur, quâ crucifixū & fractum, & sanguis illius quâ effusus (Instituit enim Christus Cœnam in mortis suæ commemorationem.) Nec tamen cadauer editur, quia morte sua meritum vitæ sibi ac suis Christus acquisiuit.

VIII.

VIII.

Aliud eſt loqui de corpore & ſanguine Chriſti ſecundum ſe, aliud vero ſecundum rationem Sacramenti. Secundum ſe, ſanguis non poteſt diuelli à corpore; factum iſtud ſemel eſt in cruce; ſecundum rationem vero ſacramenti, diſtinctè conſiderari debent, tum quia in Cœna nobis repręſentãt id quod ſemel factum eſt, tum etiam quia perfectio refectionis noſtræ in Chriſto, in manducatione carnis Chriſti, & bibitione ſanguinis ipſius exhibetur.

IX.

Miracula non ſunt in vſum aut regulam trahenda, quia omne miraculum inſolens. Quæ vero citantur, vel ab hominibus ſuperſtitioſis conficta ſunt, vel falſa & ad decipiendos ſimplices edita, vel denique ope & auxilio Diaboli producta, prout de Anti-chriſto, Chriſtus, & Paulus prædixerunt.

Contra Communionem ſub vna tantum ſpecie Bellarm. lib. 4. cap. 24.

I.

A Figuris & Sacramentis veteris Teſtamenti quæ adiunctis externis, temporis circumſtantia, ſignificandi modo, & qualitate ſignorum, ac numero differunt: ad Noui Teſtamenti Sacramenta argumentari eſt inconſequens. Nec vtramque ſpeciem in illis requirere neceſſe eſt, quæ aut vtriuſque non fuerunt capa-

cia, aut in quorum legitimo vſu, de vtroque mandatum non extat.

II.

A particulari & indefinita propoſitione male concluditur excluſiuè. Nec enim etiam ſi quibuſdam in locis fiat mentio manducationis, idcirco altera ſpecies neceſſario excluditur. Fit enim alibi mentio, immo eo ipſo capite quater, carnis & ſanguinis ſimul, manducationis & potus.

III.

Panis cibarij ſeu ordinarij, & Panis myſtici ac Sacramentalis, diuerſa omnino conſideratio eſt, non ſecundum ſubſtantiam, quantitatem aut qualitatem naturalem, ſed ſecundum vſum & officium. Fuit autem tum in miraculo illo refectionis populi, tum in Cœna Emauntica, non Sacramentum Gratiæ, ſed conuiuium naturæ: nec de corpore Chriſti vero & naturali, panem illum Patres interpretati ſunt, ſed de myſtico, id eſt, Eccleſia.

IIII.

Synecdoche eſt, nomine partis totum comprehendens, linguæ Hebrææ familiariſſima, qua per panis fractionem, prandium, cœnam, & quælibet conuiuia deſignare ſolent, ex quibus tamen conuiuijs, vt potus cõmodè excludi nec debet, nec poteſt; ita nec ex hoc conuiuio ſacramentali, de quo mentio fit locis citatis. Vnde & idem Paulus, cui fractio hæc tribuitur, Dominicam inſtitutionem explicans, docet Cœnam conſtare ex pane & poculo.

V.

V.

Manichæos tantum ſub vna ſpecie panis communicaſſe verum eſt, arbitrabantur enim vinum, eſſe fel diaconis; eos autem propterea veterē Eccleſiam non reprehendiſſe falſiſſimum eſt: contrarium euincunt, vel ij ipſi quos à partibus ſuis ſtare vult aduerſarius, Leo Epiſcopus & Gelaſius Papa, quorum prior mutilationem hanc vocauit ſacrilegam ſimulationem, poſterior verò grande ſacrilegium.

VI.

Ab exemplis, quorum prius eſt dubiæ fidei, vtpote cuius ipſe Chryſoſtomus non facit mentionem; & propter muliebris ingenij ſolertiam, & calliditatem, ridiculum: poſterius vero fidei falſæ ſeu contrariæ, vtpote quod certiſſimo argumento euidenter demonſtrat communionem ſub vtraque ſpecie, tunc temporis vſitatam fuiſſe, & neceſſariam; non valet conſequentia.

VII.

A caſibus neceſſitatis extraordinarijs, iiſque particularibus, non concluditur ad id, quod in legitimis, ordinarijs, & publicis celebrationibus Euchariſtiæ obſeruari debet. Adde quod in omnibus iſtis ritibus & ceremonijs, ſi non ſemper, tamen plerumque vtriuſque ſpeciei vſus fuit; prout Eccleſiæ primitiuæ conſtitutio, & conſuetudo, probat luculentiſſimè.

VIII.

A Conciliorum aut Patrum authoritate ar-

gumentari ad errorem aliquem ſtabiliendum eſt inconſequens: Adde quod in Primitiua Eccleſia longis temporibus retenta fuerit communio ſub vtraque ſpecie, etiam in monaſterijs, vſque ad annum milleſimum, trecenteſimum; & mutilatio primum publico decreto introducta fuit, à Concilio Conſtantienſi, anno 1484.

IX.

Ex incommodis argumentum nihil concludit, tum quia nituntur ſuperſtitione, tum quia vitioſa eſt, à particularibus collectio: tum denique quia præuiſa à Chriſto & Apoſtolis, inſtitutionem communionis ſub vtraque ſpecie, non impediuerunt.

Pro FORMA *contra Tranſubſtantiationem contra Bellar. lib. 3. cap. 19.*

A praua & inſufficiente partium enumeratione, falſa elicitur concluſio. Mutatio enim omnis, aut eſſentialis eſt ipſius ſubſtantiæ, id eſt, materiæ & formæ naturalis aut ſacramentalis, officij, conditionis ac vſus elementorum, vtraque vera eſt ſed ſuo modo: illa vera eſſentialiter per modum naturæ: hæc vero ſacramentaliter per modum Gratiæ. Quæcumque autem mutatio eſt in Cœna, non eſt eſſentialis aut naturalis, ſed ſacramentalis, id eſt, conſecratio, deſtinatio & traductio ſignorum, ab vſu communi, ad vſum ſacrum & myſticum.

Ad

Ad teſtimonia Patrum, quæ capite 20. & 21. libri tertij, & toto ſecundo libro citantur à Bellarm.

I.

QVI Patres Euchariſtiam corpus & ſanguinem Chriſti appellarunt, ſacramentali loquendi modo vſi ſunt, quo fit vt permutatis nominibus, ſignum vel ſymbolum, ipſius rei vocabulo appelletur: vſi autem ſunt tribus de cauſis: 1. vt declarent ad quid Chriſtus panem Euchariſticum ordinaſſet: 2. vt exprimerent analogiam inter ſigna & res ſignatas: 3. vt nominũ permutatione, docerent, veriſſimam & individuam eſſe rerum ſignificatarum cum ipſis ſymbolis coniunctionem, in legitimo vſu.

II.

Qui Patres Euchariſtiam vocarunt pretioſum corpus, tremenda myſteria, pignus ſalutis, pretium noſtrum, hyperbolicè loquuti ſunt de ipſo pane ſanctificato, non autem de alio aliquo corpore per tranſubſtantiationẽ præſente. Vſi autẽ ſunt hyperbolicis iſtis phraſibus tribus de cauſis: 1. vt myſterij dignitatem extollerent: 2. ne veſcentes, externis ſymbolis inhærerent: 3. vt magno cum pietatis & reuerentiæ affectu, ad ſacram iſtam communionem accederetur.

III.

Qui Patres corpus Chriſti dixerunt, tangi, videri, dentibus comminui, &c. figuratè loquuti

sunt. Duplex enim statuenda est Sacramenti, & corporis Christi significatio. Nam sicut Sacramentum aliquando figuratè, pro vna parte, aliquando propriè pro vtraque sumitur: ita & corpus Christi aliquando propriè, aliquando figuratè, pro externo tantum signo. Atque hoc sensu per figuratum, & Metonymicum sermonis vsum Patres dixerunt corpus Christi, tangi, videri, id est, corporis symbolum.

IIII.

Qui Patres de mutatione panis & vini in Eucharistia loquuti sunt, de mutatione sacramentali egerunt, de qua prima distinctione dictum est; eoque figuratè & effectiuè, verba sua accipienda esse voluerunt & docuerunt.

V.

Qui Patres docuerunt corpora nostra, corpore & sanguine Christi ali, nutriri ac saginari, tropo sacramentali vsi sunt. Prout enim Christus dixit, *hoc est corpus meum*, cum daret symbola corporis sui: ita corpora nostra ali, nutriri & saginari dicuntur corpore & sanguine Christi, cum reuera alantur illis rebus, quæ corporis & sanguinis Christi symbola sunt.

VI.

Qui Patres loquuti sunt de Adoratione carnis Christi, egerunt non de ea quæ fiebat in mysterio, sed in mysteriorũ celebratione. Recte enim adoratur à nobis caro illa æterno Dei filio hypostaticè vnita, quoties Cœna Domini celebratur.

VII.

VII.

Qui Patres timorem, tremorem, ac fidem requisiuerunt â communicantibus, non essentialem vllam signati in ipsa signa mutationem posuerunt: sed timorem quendam requisiuerunt, ne signa propter vilitatem externam contemnerentur, fidem vero, vt quod non videtur credatur, & fide percipiatur.

VIII.

Qui Patres miraculum fieri dixerunt in Eucharistia, nullam miraculosam transubstantiationem panis in corpus Christi intellexerunt, sed mysterij huius maiestatem, quam cum summis miraculis contulerunt, & per κατάχρησιν miraculum appellarunt, quia mirando & incomprehensibili modo Deus operatur in animis piorum, quoties vera fide hoc mysterium celebrant.

De PRAESENTIA *Christi in Cœna, contra Bellar. lib.* 1. *cap.* 1.

I.

FIGVRAE, aut oppositè dicuntur, qua corpori opponuntur, vt & vmbræ imagini; aut relatiuè, qua in genere, aliud quid, præter id quod videtur figurant & significant. In prima significatione figuræ veteris Testamenti, non opponuntur Sacramentis Noui, sed impletioni earum rerum, quæ præfiguratæ fuerant. In secunda significatione, Figuræ seu Sacramenta veteris Testamenti, male oppo-

nuntur Sacramentis Noui Teſtamenti, ſiue ſecundum æqualitatem, ſiue ſecundum præſtantiam, quia licet verbo inſtitutionis, partibus genericis, relatione & fine conueniant, ſignificationis tamen menſura, virtute & facilitate differunt; quo reſpectu Sacramenta Noui Teſtamenti præſtantiora dicuntur Sacramentis veteris Teſtamenti.

II.

Contra Bellarm. cap. 5. & 6. Quæ Concio de re ſacramenti, illiuſque communione agit tantum, non autem de ſigno, prout ipſa loci *ſtabilit*, Chriſti interpretatio, & Fidei analogia probant euidentiſſimè, non poteſt realem præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus ſignorum probare. Spiritualis enim manducatio, à Sacramentali diſtinguenda eſt: quod illa interna & inuiſibilis, hæc externa & viſibilis ſit. Nec dato, agi eo loco de manducatione Sacramentali, quæ tamen inde deducuntur argumenta quatuor, præſentiam illam probare poſſunt. Non *primum*, quia panis ſynecdochicè ſumitur pro cibo, cibus autem figuratè pro carne Chriſti, vnde nec in loco citato, panis ſubiectum, ſed prædicatum carnis eſt. Non *ſecundum*, quia corrigendo arguit & arguendo correxit Chriſtus Capernaitas, & diſcipulos, prout verſ. 61. 62. & 63. indicant euidenter. Non *tertium*, quia manducationis & bibitionis voces figuratè ſumuntur, & vt textus indicat, æquipollent his loquutionibus: Credere in Chriſtum, & manere in Chriſto.

Non

Non *quartum*, quia confirmat Christus præcedentem censuram, indicans, tunc illos animaduersuros errorem suum, cum viderint filium hominis ascendentem.

III.

Quæ argumenta ex verbis institutionis capite 9. & 10. desumuntur, supra in distinctionibus pro causa Efficiente, refutata sunt.

IIII.

Quæ tria argumenta eliciuntur ex 10. capite prioris ad Corinth. nullam habent consequentiam. Non *primum*, quia fallacia est non Causæ vt Causæ. Nec enim benedictio, seu consecratio causa est coniunctionis sacramentalis, rei signatæ cum signo, sed sola institutio, & ordinatio diuina, benedictione explicata & confirmata. Non *secundum*, Nam quæ fractio de pane propriè, de corpore impropriè, & figuratè dicitur. Non *tertium*, quia κοινωνία vocabulum vnionem & consociationem significat propriè personarum nostrarum cum persona Christi, spiritualem quidem illam & supranaturalem, si modum; realem tamen & veram, si terminum & obiectum illius respicias.

V.

Lib. 1. cap. 13. Quod Argumentum sumitur ex 11. cap. prioris ad Corinth. nihil concludit; quia Apostolus non agit de manducatione corporis, sed externa perceptione panis & vini, quæ quidem cum priori, in vsu legitimo coniuncta est: in vsu verò illegitimo, indigne communicantium, sola est, & tamen reum facit

communicantem corporis & sanguinis Christi, quia signorum sumtio & tractatio indigna, redundat in contumeliam rei signatæ.

VI.

Ad testimonia Patrum quæ toto secundo libro adferuntur, suprà responsum est.

VII.

Lib.3.cap.3. Quæ probationes adferuntur à Dei omnipotentia, nullam inferunt præsentiam Christi corporalem in Cœna. Non *prima*, quia excludit Omnipotentia Dei, tum contraria naturæ ipsius, tum contradictoria, nec ista non posse, infirmitatis est, sed immensæ virtutis & constantiæ. Non *secunda*, quia prima apparitio fuit cœlestis, quæ nihil adiuuat præsentiam Christi in terris: secunda fuit nocturna, quæ non oculis, sed menti apparuit. Non *tertia*, quia Patres, aut de præsentia Christi secundum personam egerunt, vt Chrysost. aut de præsentia corporis in Cœna, Sacramentali, vt Ambrosius, aut de effectu manducationis corporis illius, vt Cyrillus & Theophylactus, aut demum hyperbolicè loquuti sunt, vt Augustinus. Non *quarta*, quia à diuina natura ad humanam, & à parte vna hominis quæ spiritualis est ad alteram, quæ est corporalis, argumentari etiam analogicè est inconsequens. Non *quinta*: quia aliud est agere de mysterijs, quæ naturam superant, aliud verò de miraculis, quæ naturam euertunt. Non *sexta*, quia eorum quæ adæquatè vniuntur, non potest vnum alicubi esse vbi non sit alterum, & duo corpora adæ-

adæquatè vnita, Christo attribuere monstrosum sit.

VIII.

Cap.6.lib.3. Quæ probationes sumuntur ab illocalitate corporis, falsæ sunt. *Prima*, tum quia à possibili ad inesse non valet consequentia, tum, quia, qui tollit spacia locorum corporibus, corporum veritatem destruit. *Secunda*, quia ab allegorica loquendi formula ad propriam non valet conclusio. *Tertia*, 4ª.5ª.6ª 7ª. quia, à miraculosa dimensionum penetratione, à singulari prærogatiua natiuitatis Christi, quæ ad ὅσιαν corporis non pertinet: à reuolutione lapidis facta mediatè per Angelum tempore resurrectionis Christi; ab ascensione Christi in cœlos, quæ facta est vt loquitur Scriptura, cœli apertione & diuisione; à pœnis damnatorum quæ veritatem corporis non euertunt, à similibus miraculosis quæ supra naturam sunt, non contra naturam. nec de substantia rei aliquid detrahunt, ad illocalitatem corporis nulla est consequentia.

IX.

Cap.8. lib 3. Quæ probationes sumuntur à veritate Dei; fallunt multis modis. *Prima* petit principium: *secunda* ponit falsum, nec enim veritas, aut vetustas consensus Ecclesiæ, à testimonio quorundam & à temporibus Lanfranci: sed à testimonio Scripturæ, & temporibus Apostolorum, sumi debet: *Tertia* in propria causa suspecta est: nec enim authoritas Conciliorum Pontificiorum veritati præ-

præiudicare, aut poteſt, aut debet. *Quarta* ab authoritate humana, in rebus diuinis argumentatur inconſequenter *Quinta* Perſonarũ factis, & narrationibus inſiſtit, quæ aut fabuloſæ ſunt, aut alienæ ſunt digreſſiones. *Sexta* à miraculis concludit, quorum veritas controuertitur, aut ſuperſtitio notatur, aut falſitas manifeſta eſt.

X.

Cap. 21. Ab Eccleſiæ Romanæ, & Conciliorum ab illa celebratorum authoritate, nihil concluditur, quia veritas, omnibus humanis iudicijs anteponenda eſt.

XI.

Quæ de Congruentia ſecundum rationem dicuntur, tanquam incongrua, & contra rationem meritò reijciuntur. *Primum* quidem, de abſentia ſubſtantiæ panis, quia nec corpus Domini ſubſtantialiter eſt ſub accidentibus panis, nec caro Chriſti, ſimpliciter adoratur, quaſi ſit ſub pane, ſed quia vnita eſt hypoſtaticè diuinitati Chriſti: nec cibus ventris, & cibus mentis eodem inſtrumento percipiuntur, ſed ille corporis ac oris, hic animæ & fidei: nec abſtinentia ab vſu panis myſtici, ieiunium facit, vt nec, perceptio ac vſus, ieiunium rumpit. *Secundum* verò de accidentibus manentibus: quia accidentia Panis non faciunt ſignum ſacramentale, ſed panis ſubſtantia: quia nulla ſit mutatio realis & ſubſtantialis in cœna, ſed tantum ſacramentalis, vtroque relationis termino manente: quia meritum fidei hoc ſolum eſt, fidere merito Chriſti: quia qui non manducat carnem

carnem in propria specie, carnem realiter non manducat.

DE ECCLESIA,

PARS Κατασκευαστικὴ.

POSTQVAM Applicationem Redemtionis nostræ per Christum, GRADIBVS suis dignouimus, & MEDIIS externis, quibus ad complementum illius Deus vti solet, de SVBIECTO Applicationis istius, ex ordine videndum est, id est de ECCLESIA quam Christus Redemit sanguine suo, & ad quam propter gratiosam Electionem Dei, pertinet magni & singularis illius Redemtionis beneficij, vsus & possessio.

Ad SVBIECTI huius, seu ECCLESIAE cognitionem, duplex omninò explicatio necessaria est. ὀνοματώδης vna, altera οὐσιώδης, quarum prior, vocis ὁμωνυμίαν communiter, posterior, ipsam Ecclesiæ Rationem singulariter exponit.

Vocis ipsius ratio, duobus modis considerari & explicari debet: *Etymologicè* & *Logicè*.

Etymologicè Ecclesia est cœtus, publica authoritate euocatus.

Logicè Ecclesia, est ex earum rerum numero, quas *collectiuas* & *aggregatas* logici vocant, id est tales, quæ non sunt vnum quid absolutè, sed continent in se duo; quorum alterum est simile multitudini & materiæ dispersæ, alterum verò vnitati, ordini, & collectioni.

Vtroque

Vtroque modo considerata, Ecclesia triplicem habet significationem: primam *generalissimam*, sub qua non tantum Angeli comprehenduntur, sed & politicè quiuis ciuilis cœtus, & κατάχρησικῶς Ecclesia falsa, quæ, Ecclesia *malignantium* dicitur[a], intelligitur: Secunda, *specialior* est, & significat totam illam omnium multitudinem, quæ generatim ex vocatione & professione externa æstimatur. Tertia *specialissima* est, maximè propria significans partem illam quæ ex hominibus ad vitam æternam coagmentata est; quæ significatio, à duobus prioribus, quatuor velut *proprijs* & *attributis* distingui solet: quod VNA, SANCTA CATHOLICA, & APOSTOLICA sit.

a Psal. 26. 5. Apoc. 3. 9.

VNA, salutis authore, consensu doctrinæ, vnius spiritus subministratione, & sancta membrorum communione[b].

b Cant. 6. 8. Ephes. 4. 4. 1. Co. 3. 11.

SANCTA, vsu, officio, affectu ad profectu; demum effectu & perfectione in Christo: est enim sanctificata, in vsum Dominis sanctitati studet: & sanguine Christi perfectè mundata est[c].

c Mat. 26. 28 1. Cor. 1. 2. Ephes. 5. 20.

APOSTOLICA, ministerio, & doctrinæ veritate.

CATHOLICA denique, Locorum, personarum, Temporis & partium ratione[d].

d 1 Cor 12. 13. & 4. 27.

De ECCLESIA in secunda & tertia significatione agimus hoc loco: cuius, ex duplici illa significatione, gemina notio emanat. Vna *visibilis*, in qua secundum externam Ecclesiæ formam, etiam bonis, qui Ecclesia propriè

priè ſunt, admiſcentur alij, qui ad illam non pertinent, niſi propter externam fidei & vocationis Chriſtianæ profeſſionem [a]: altera *Inuiſibilis*, quæ ſecundum formam eſſentialem ipſius, prædeſtinatos, & electos tantum complectitur, quorum fides oculis externis dignoſci non poteſt [b], Prior ex vocatione externa æſtimatur communiter: Poſterior ex vocatione propriè & ſingulariter [c].

a Mat. 18. 17
Marh. 13. 24
Luc. 3. 14.
b 2. Tim. 2. 19.
Rom. 11. 4.
c Ephe. 3. 15

Secundum vtramque notionem, Eccleſia nobis definienda eſt, & *communiter*, & *diſtinctè*.

Communiter quidem, Eccleſia definitur: Cœtus eorum, quos Deus gratuita vocatione, ad gratiæ & gloriæ ſuæ communionem euocat [d].

d Mat. 11. 29

Diſtinctè vero Eccleſia quidem *viſibilis* definitur: Cœtus hominum vocatione externa, ſeu prædicationis verbi, & ſacramentorum communicatione, euocatorum, ad cultum gloriæ Dei [e]. *Inuiſibilis* autem: Cœtus hominum prædeſtinatorũ, qui vocatione efficaci, & ſalutari, ex ſtatu corruptionis, in dignitatem adoptionis filiorum Dei euocantur, & Chriſto tanquam capiti aduniuntur, non ad cultũ tantum, ſed etiam ad fructum gloriæ Dei [f].

e Mat. 18. 17

f Luc 1. 33.
Rom. 11. 4.

CAVSA EFFICIENS vtriuſque Eccleſiæ alia *primaria* eſt: alia *Inſtrumentalis*, ſeu adminiſtra.

Primaria & principalis duobus modis explicari debet: ſecundum *conſtitutionem* Eccleſiæ, ſecundum *adminiſtrationem* & *ordinationem illius*

Cauſa

Causa efficiens *constitutionis* Ecclesiæ est Deus Pater, Filius & S. Sanctus, velut principiũ omnis boni in natura, & supra naturam a.

a Rom. 2. 29.

Huius causæ efficientis seu Principij, respectu vnitatis essentiæ, vna & *communis est operatio*: respectu vero distinctionis Personarum, operandi *modus distinctus*.

Communis operatio, quia & communis est operandi causa in diuinis, & idem opus. *Causa operandi* in Ecclesiæ constitutione est, beneplacitum voluntatis Dei, quo ab æterno, statuit Deus aliquos ex humano genere euocare ad gratiæ suæ communionem b. *Opus* verò ipsum est πλήρωμα seu complementum Ecclesiæ c, is quibus Deo visum est, mediorum gradibus & temporum periodis consummandum. Cuius decreti & operis principium commune est Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: *operandi verò modus distinctus* est. *Pater* enim Ecclesiæ causa Efficiens est, *Inuisibilis* quidem electione, *visibilis* verò creatione, *Filius* efficiens, *inuisibilis* quidem, efficaci Redemtione: visibilis verò ciusdem Redemtionis per Euangelij prædicationẽ communi oblatione: S. Sanctus efficiens *inuisibilis* quidem salutari sanctificatione, & noua in Christo creatione: *visibilis* vero externa vocatione per quam magis aut minus operatur.

b Ephes. 1. 5. Tit 2. 14.
c Ephe. 1. 23
d Rom 8. 29. Ioh. 17. 19. Tit. 2. 14. 2 Tim. 1. 9. Ioh. 3. 3.

Atque hæc ratio est causæ Efficientis in Ecclesiæ constitutione.

Administrationis autem & *ordinationis* causa Efficiens proxima, est Christus διαιρέτης per dis-

dispositionem voluntariam, dispensationem Gratiæ, quâ Deus pater, Christum fecit, & constituit CAPVT super omnia, ipsi Ecclesiæ, quæ corpus ipsius est [a].

a Rom 12.5 1.Cor.3.11. 12. Coloss.1.18.

Est autē nō naturæ ordine, sed diuina ordinatione gratiæ salutaris. Nec enim Ecclesia corpus Christi dicitur, Physicum & Mathematicum sed Mysticum.

Vnde, & eodem diuinæ ordinationis beneficio, Christus huius sui corporis caput haberi & æstimari debet, non multa, sed vnum, nec enim aut δικεφαλος aut πολυκεφαλος est Ecclesia.

Prout vero conditio Capitis supra corpus ipsius, in tribus consistit maximè, in *ordine*, *perfectione* & *virtute*; *ordine* ad membra: *perfectione* in se, *virtute* ad vniuersum corpus: ita & Christus, ordine, perfectione, & virtute, modo excellentissimo omnia præstat officia, quæ in suum corpus, ab optimo capite præstari, & possunt, & debent.

Ordine, quia verus Deus, & verus homo, primas tenet in omnibus, supereminentiam habens, non modo dignitatis, sed & regiminis & potestatis. Vnde ante omnia existentem, supra omnia positum, frequentissimè dicit Scriptura.

Perfectione, quia solus Christus est, Rex, Propheta, & sacerdos summus, habēs omnia in se à Patre, quæ vlla ratione ad perfectionem capitis requiri possunt.

Virtute, & efficacia, quia solus vigorem, sensum, motum, ac vitam spiritualem, inspirat mem-

membris ſuis, ac ſolus agglutinatur corpori, nexu Spiritus, totam illam compaginem, ſeu coagmentationem membrorum inter ſe & cũ Deo, toti Eccleſiæ præbens.

CAVSA ECCLESIAE, inſtrumentalis, & adminiſtra, *communiter* quidem, eſt verbum Dei, quacũque ratione reuelatum & communicatum, ſiue intus, ſiue foris, ſiue coniunctim vtroque modo [a]. Vnde & verbum Eccleſiæ ſemen, & veritatis, quam Eccleſia velut in columna appenſam habet, & tanquam ſtabilimentum ſuffulcit, regula, menſura, ac fundamentum, in Scripturis vocatur. *Specialiter* vero, *Inuiſibilis* quidem Eccleſiæ cauſa inſtrumentalis, eſt ipſa fides, quæ cum interna ſit, hominum quidem iudicio non cognoſcitur, ſed tamen veram ac eſſentialem membri Eccleſiæ rationem ac formam deſignat, vtpote internæ, ac efficacis illius vocationis diuinæ, vnicum inſtrumentum: viſibilis autem, præcipuè ac primariò, ſunt verbi PRAECONES qui ob id *ædificantes*, & *architecti* in Scripturis vocantur [b], inſtrumenta ſcilicet à Deo, & Domino Ieſu Chriſto occupata, ad coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterij & ad ædificationem communem corporis Chriſti [c].

a Heb. 4. 12. Act. 2. 42. 2. Pet. 2. 23. 1. Tim. 3. 15.

b 1 Cor. 3. 10 Epheſ. 4. 12. 1. Pet. 2. 5.

c Epheſ. 4. 7. 2. Cor. 4. 1.

Atque horum Inſtrumentorum, tùm *vocationem*, tùm vero *officium* ſecundum vocationem explicari oportet.

Vocationem quidem, qua ſanctè legitimeq; vocantur ad ſacram functionem publicam, in communione Chriſti, & Eccleſiæ ipſius.

Vocan-

Vocantur autem, aut à Deo Interné per Spiritum, aut externè ab Ecclesia, secundum Deum, ordine sancto & legitimo. *Prior modus*, si solus sit, constituit vocationem immediatam & extraordinariam, quam solus Deus facit ad generationem aut instaurationem singularem Ecclesiæ suæ, qualis fuit Prophetarum & Apostolorum, quos, extra ordinem, vocauit & informauit Dominus, reuelatione singulari, vt diuina esset plane, ipsorum in dicendo & scribendo Authoritas [a]. *Posterior*, cum priore constituit vocationem mediatam & ordinariam, quam Deus cum Ecclesia facit *ordine ecclesiastico* [b].

a Luc. 21. 15. Act. 13. 1. Act. 21. 4.

b 1. Tim. 5. 17.

Huius *ordinis* duæ sunt partes essentiales, *Electio* & *Confirmatio*. Illa quidem, qua tùm vitæ, tùm doctrinæ sanctum legitimumque examen instituitur [c], hæc verò quâ tùm Præsbyterio præeunte per manuum impositionem, tùm Ecclesiæ corpore, per signũ, sermonẽ, aut silentiũ liberum, consentiente, fit ministerij Consecratio & initiatio [d]. Atque hæc vocatio cum sit ordinaria, etiam successiua est, non natura, vt in Posteris Aaronis & Leuitis olim, sed ordinatione atque instituto.

c Tit. 2. 7. 2. Tim. 2. 24. 1. Tim. 3. 10.

d Act. 6. 6. 1. Tim. 4. 14. 2. Tim. 1. 6.

Officium vero horum instrumentorum est, Res Ecclesiæ, ex præscripto Dei administrare.

Res autem Ecclesiæ, aut *doctrinam* spectant, aut *signa* & *sacramenta*, aut denique ipsam Ecclesiæ *iurisdictionem* & *disciplinam*, vnde Ministrorum officium, *d. ctrinæ, Sacramẽtorum*,

torum, *ac Disciplinæ* Ecclesiasticæ administratione circumscribitur.

Doctrinæ administratio, duabus constat partibus; veritatis assertione, ac falsitatis contraria refutatione; vtriusque obiectum adæquatum est verbum Dei [a].

a 2.Tim.3.15 Tit. 1.9.

Sacramentorum administratio duas habet cõsiderationes; vnam *personarum*, quibus Sacramenta administrari aut debent, aut non debent, alteram *modi*, vt integrè, competenter & intelligenter administrentur: *Integrè* quoad substantialia; *Competenter* quoad qualitatem & formam externam; *Intelligenter* quoad communem Ecclesiæ ædificationem [b].

b 1.Co.11. 23. Luc.22.19.

Disciplinæ Ecclesiasticæ administratio in duobus præcipue occupatur, in lapsibus corrigendis, & in iudicijs Ecclesiasticis exercendis, prout infra dicetur fusius [c].

c 1.Cor.5.4. 2.Cor.2.8.

MATERIA Ecclesiæ, aut Partium rationem habet, aut Subiecti.

PARTES Ecclesiæ, *cõmuniter* quidem & materialiter duæ sunt, vna *superior*, altera *inferior*. Illa Ecclesiæ caput est cui Ecclesia subest, & à quo omnis virtus in Ecclesiam fluit: hæc corpus est, cuius membra inter se, & cum capite vniuntur. Harum enim duarum partium, ad se mutua relatio, essentialem Ecclesiæ rationem constituit.

Singulariter verò Ecclesiæ quidẽ *Inuisibilis*, partes integrales duæ sunt; prout duplex huius Ecclesiæ ratio haberi consueuit. Vna in *principio* & *progressu*, altera in *perfectione* sua, illa

mili-

militans, hæc *triumphans* vulgo dicitur: quæ vtraque ſecundum rationem eſſentialem ipſius Eccleſiæ, vna eſt; licet propter differentiam qualitatum, quæ his partibus inſunt, diuerſiſſimè, ſecundum locum diſtinguatur; vt alia ſit in cœlo quæ triumphet, alia verò in terris quæ militet [a]. *Viſibilis* verò Eccleſiæ, qua talis eſt, partes integrales duæ ſunt; Paſtores, & Oues; doctores, & diſcentes, quamuis extra ordinem ſæpe fit, vt vna pars ab altera ſeparetur; forma eſſentiali ipſius Eccleſiæ permanente.

a Heb.12.22. Apoc.21.2. Eph.6.11.12

SVBIECTVM Eccleſiæ; *cõmuniter* quidem eſt Humanum genus [b], ex quo, tùm euocantur in dies, per gratiam Dei, quicunque ordinati ſunt ad vitam æternam; tùm & vocantur etiam alij, vt euicti de oblata gratia, fiant in perpetuum inexcuſabiles. *Singulariter* vero, Eccleſiæ quidem *viſibilis*, ſubiectũ ſunt in cõmune omnes euocati, & eandem fidem externè profitentes: in quo communi Eccleſiæ cœtu, non tantum pij & electi ſunt, ſed etiam impij & reprobi: illi ſecundum veritatem, internæ & externæ formæ; hi ſecundum ſpeciem, ſimulationemque pietatis: illi electi & vocati; hi vocati tantum non electi: illi viua, hi mortua Eccleſiæ membra [c]. *Inuiſibilis* vero ſunt ſoli prædeſtinati ad vitam, qui ſc. vocatione Dei afficiuntur intus, eamque fide percipiunt ſecundum electionem, & operationem Gratiæ [d].

b Mat 28.19 Ioh 10.16. Rom.1.16.

c Luc.8.13. Mat.22.14.

d Rom.8 9. Epheſ.1.23. Ioh 14.23.

Nec excluduntur, aut Catechumeni nondũ baptizati, aut excõmunicati ex Eccleſia viſibili, pœnitentiã agentes. Non *illi*, licet enim nondũ exter-

externum signum acceperint, fide tamen præditi, & baptismo interno baptizati, Ecclesiæ membra secundum perfectionem illius censeri debent; nec ab Ecclesiæ communione excludere fas est, quos à salutis communione non excludit scriptura Non *hi*; quia, prout conditionaliter excluſi sunt, dum spes est resipiscentiæ, ita & conditionaliter de Ecclesia esse necessum est; excluduntur autem omnes reprobi, & sine Conscientiæ stimulo scelerate viuentes, quia, siue intus de Ecclesia videantur, siue foris de Ecclesia sint, semper tamen ab Ecclesiæ huius vnitate diuisi sunt & manent. Est enim hæc Ecclesia, Sanctorum communio, Sponsa, & Corpus Christi, Tota pulchra, Templum Dei, Ciuitas sancta, &c.

FORMA Ecclesiæ & communiter secundum se totam, & specialiter secundum geminam sui notionem, prout in Causis præcedentibus factum est; explicari debet.

Communiter Ecclesiæ Forma duobus modis consideratur. *Separatim* in se & Causa efficiente sua, vel *coniunctim* in suo subiecto.

Priori modo Ecclesiæ forma, est vocatio illa diuina & gratiosa in cœlis informata, secundum propositum voluntatis Dei, quo statuit ab æterno communionem sui, cum Ecclesia, & Ecclesiæ cum ipso, in filio dilectionis suę [a]. *Posteriori modo* Forma Ecclesiæ est vocatio diuina & gratiosa, qua in hoc sæculo Ecclesia Dei informatur [b], exspectans, dum consummato vocationis cursu ad fructum cœlestis vocationis

a Eph. 1. 4. 5. Joh. 10. 27. 28

b Rom. 8. 30

æ-

attollatur in Christo Iesu.

Atque huius vocationis, vt ratio secundum se perfectissima est, ita & modus illius duplex: *immediatus* vnus, alter *mediatus*: ille quem Deus per se facit virtute Spiritus sui; hic, quem facit externè, sermone, signo, vel opere, ordinariè vel extra ordinem, prout illi visum est hominibus innotescere.

Specialiter, FORMA quidem Ecclesiæ *inuisibilis*, est efficax & interna vocatio, & mediante virtute illius, communio illa sanctorum, tum cum capite suo, tum eorundem inter sese a. Atque huius vocationis vt ratio secundum Deum perfecta est: ita & medium internum & efficax illius duplex est, Spiritus & fides, ille respectu vocantis, hæc respectu vocati: illo vocationem efficacem offert & confert Deus, hac prehendimus quod oblatū est, & vocationi Dei respondemus. Duo enim hæc concurrere necesse est, vt vocatio sit efficax, vocationem Dei, per virtutem & efficaciam spiritus sui, & nostram ad illam vocationem σχέσιν seu relationem. a 1. Ioh. 1. 13

Prout verò Ecclesiæ huius inuisibilis, pars vna in terris militat, altera triumphat in Cœlo, ita & formæ huius ratio varia est. In Ecclesia enim Triumphante, perfecta est in suo genere, in militante verò inchoatiuè est duntaxat, ad perfectionē tendens, plure aut minore efficacia, pro spiritus ac fidei demenso. Atque hinc fit vt varius, respectu formæ huius, Ecclesiæ inuisibilis status sit. Qua enim capiti suo Christo vnita

est,

est, errare non potest; quia vna veritas est, capitis, spiritus & corporis: qua vero consideratur, secundum se, & varia sui membra, errat varijs modis & gradibus [a]. Nam etsi spiritus est semper in illa, tamen non perfectè per eam operatur, sed tantummodo pro mensura ipsius [b]. Deficere autem à Deo suo Ecclesia hæc inuisibilis non potest; quia, Deum habet promittentem, Mediatorem redimentem, ac conseruantem; dona denique ἀμεταμέλητα [c].

a 1.Cor.13.9 1.Cor.3.12. Apoc.3.1.
b 1.Cor.12. 7. 11.
c Mat.16.18. Ephes.4.6 3. & 4. Rom 11.29. Rom.9.27.

FORMA Ecclesiæ visibilis, alia quidem σωστικὴ est Ecclesiam constituens, alia διαιρετικὴ, Ecclesiam veram à falsa distinguens.

Forma Ecclesiam visibilem *constituens*, est vocatio illa externa, quam mediatè Deus efficit, secundum sanctam illam œconomiam, quam in domo sua seruari voluit.

Huic vocationi tria subseruiunt. Verbum Euangelij, Sacramentorum vsus, officiaque legitima communionis sanctorum; vocat enim Deus externè, sermone, signo, & opere: de quibus fusius in loco de vocatione hominum ad salutem dictum est.

Forma Ecclesiam veram visibilem, à falsa *distinguens & discriminans*; ea est, quam certæ NOTAE circumscribunt ac designant.

NOTAS autem vocamus, ex quibus res quæ in questionem veniunt, certò cognoscuntur, siue sensu, siue intellectu, siue vtroque modo perceptibiles fiunt.

Prout autem rei cuiusque duplex solet esse cogni-

cognitio, vna, quæ illius eſſentiam per veras cauſas & immediatas deſignat: altera ab Accidentibus petita, & ſiue affectiones illius inſeparabiles indicans, ſiue externa reliqua accidentia, quæ rem tantum circumueſtiunt: ita & huic duplici cognitioni, duo notarum genera reſpondent. Aliæ enim notæ ſunt eſſentiales, & neceſſariæ, quas τυπικὰ appellant, aliæ verò accidentariæ, quas εἰκότα nominant. Illæ ſunt propria Eccleſiæ argumenta, quæ eſſentiam & naturam illius certò demonſtrant: hęc vero ſunt communia & probabilia eius indicia.

Nota *propria & eſſentialis* Eccleſiæ viſibilis, eſſentiam illus ſpectans, immediatè & propriè, proximèque fluens ex forma illius, vnica eſt, *veritas*, ſcilicet *verbi Dei reuelati ac communicati*: cui veritas Sacramentorum tanquam connexum inſeparabile coniuncta eſt[a]. Vtriuſque enim veritas, ita proprium & eſſentiale eſt τυπικὸν Eccleſiæ, vt veritas hæc, & Eccleſia adęquè conuertantur.

a Heb.4.12. Ioh.10.27. Mat.28.10. Rom.4.11.

Notæ *accidentariæ*, duplices ſunt: aliæ enim petuntur ab affectionibus Eccleſiæ inſeparabilibus, quæ & primæ illius notæ affectiones ſunt: *verbi prædicatio pura, & ſacramentorum legitima adminiſtratio*[b]: quæ duo Eccleſiæ adiuncta & attributa ſunt, neceſſaria & propria: aliæ vero ordinem in Eccleſia ſiue publicum, ſiue priuatum ſpectant, propriè: cuiuſmodi ſunt *Poteſtas Eccleſiaſtica*[c], & *publica* ſeu *priuata pietatis* ac *charitatis exercitia* d.

b Ioh.5.39. Act.17.11. Math.26.26. 1.Cor.10.17.

c Mat.33. & 28.20.

d 1.Tim.2.1.

Potestas Ecclesiastica triplex est: *Ministerij*: *Ordinis & disciplinæ Ecclesiasticæ.*

Potestas ministerij, est authoritas & ius docendi in Ecclesia, non quiduis, sed id vnum quod Dominus per Prophetas suos & Apostolos præscripsit [a]; estque *clauium pars prior.*

a Gal 1.8. 1.Tim.6.3.

Potestas ordinis, est facultas Ecclesiæ, quæ tum circa doctrinam, tum circa leges politiæ externæ constituendas versatur, illa δογματικὴ, hæc διαταικτικὴ, id est, *ordinata* vulgo dicitur.

Disciplina Ecclesiastica, est κριτικὴ seu iudiciaria Ecclesiæ potestas, qua homines in familiam Christi recepti, ad pietatem diriguntur, & coercentur, ne quid Christiana professione indignum committant; peccantes vero redarguuntur, obiurgantur & corriguntur: estque, *posterior pars clauium*, à priore distincta, quod illa docendi munus spectet propriè, hęc verò in lapsibus corrigendis & in iudicijs Ecclesiasticis exercendis versetur maximè [b].

b Mat.16 19. Ioh.20.23. Math.18.18. 1.Cor.8.11.

Prout autem lapsus corrigendi duplices sunt, alij circa doctrinam, alij circa mores, ita circa vtrosque occupatur iudicium Ecclesiasticum, ad priuatum peccatoris, & publicum Ecclesiæ bonum.

Tres autem iudicij illius gradus sunt, ἐπιτιμία, seu *increpatio* coniuncta cum νουθεσία seu commonefactione [c]. Secundò, *Exclusio*, suspensio, siue abstentio à Cœna Domini, qua interdicitur ad tempus, peccator, Cœnæ participatione. Tertiò, *Excommunicatio*, qua præeunte legitima cognitione quispiam propter ma-

c Mat.18.15

malicioſam contumaciam ex ſanctorum Communione excluditur, ſeu, vt loquitur Apoſtolus, Satanæ traditur, ad carnis interitum, vt ſpiritus ſaluus fiat[a]. a Mar.18.18. 1.Cor.5.4. &c.

Publica Charitatis & Pietatis exercitia, quæ Eccleſiam veram notant[c]: ſunt collectio, διακονία, verbi ſacramentorumque perceptio, Oratio, Pſalmodia, &c. *Priuata* verò, quæ quidem ad inſtitutionem vitæ noſtræ faciunt, ſunt exercitia Reſipiſcentiæ: Quæ verò proximum reſpiciunt, ſunt exercitia Charitatis, vt Eleemoſyna, &c. b Act.2.42. 1.Tim.2.1. 1.Cor.1.2. Ioh.13.35.

Atque harum omnium Notarum communis quidem eſt vſurpatio, & externa illarum ſpecies ferè in omnibus Eccleſijs: ius autem poſſeſſionis & legitimus illarum vſus proprius & particularis veræ tantum Eccleſiæ.

Vnde de Eccleſiæ viſibilis puritate, vel impuritate, claritate vel obſcuritate iudicium ferri debet. Quæ enim Eccleſia eſſentialem illam notam habet, & accidentarias omnes, eſt puriſſima, quæ illam tantum, non has omnes, vera eſt Eccleſia, ſed imperfecta; quæ harum aliquas, non illam, Eccleſia eſt æquiuocè dicta ſeu hypocritica. Quæ nec has, nec illam, ne Eccleſia quidem eſt.

Quia vero quæ Eccleſia particularis habet has notas, aut perfectè habet, aut ſecundum partes, iterumque vtroque modo, ſecundum quantitatem, & qualitatem variè, aut magis aut minus, aut purius, aut impurius; hinc fit vt Eccleſiæ particulares, & errent variè & ſę-

pius deficiant: *Errent quidem*, plus, minusuè, prout, aut veritati adhærent, aut ab ea discedunt [a]: *deficiant* verò, tum quia ordine, regimine, & perpetua successione non semper conspicuæ sunt, tum quia apostasia & corruptione, lethaliter aliquando intereunt [b].

a 1.Cor.13.9 Rom.7.23. Mat.6.12.

b Apoc.13.4.8

FINIS Ecclesiæ, *communiter* quidem est, Gloria Dei ipsius, seu laus Gloriæ gratiæ ipsius. *Singulariter* verò Ecclesiæ inuisibilis, est salus prædestinatorum. Visibilis autem corporis Christi, ex vocatis communiter, consummatio & complementum [c].

c Heb.2.10. Ephes.1.23. Ephes.3.20.

DE ECCLESIA,

PARS Ἀνασκευαστική.

Pro Inuisibilitate Ecclesiæ Catholicæ contra Bellar. cap.12. lib.3.

Distinctiones.

I.

ECCLESIA dupliciter considerari solet, aut secundum materiam & formam illius externam, aut secundum τοῦ καθ' ὅλου & formam internam ipsius. Illo modo visibilis, hoc inuisibilis dicitur, etiam annuente Scriptura, quæ in hunc finem, Ecclesiam Catholicam vocat Ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis: corpus Christi non naturale sed mysticum: Sponsam cuius omnis gloria interna sit.

II.

II.

A particulari Ecclesia ad Catholicam, non valet argumentatio; quia ad partem singularem non pertinent, quæ de toto communi & indiuiso quam verissimè prædicantur. Sunt autem particulares Ecclesiæ, de quibus agitur, Num. 20. 3. Reg. 8. Act. 20. Act. 15. vers. 3. & 4. Act. 18. 1. Cor. 15. Gal. 1. Phil. 3.

III.

A Catholica Ecclesia ad particularem inconsequens est conclusio. Nec enim totius conditiones omnes, parti singulæ, aut semper, aut omnino competunt. Sunt autem enuntiata illa duo Math. 16. & 1. Tim. 3. de Ecclesia Catholica & inuisibili intelligenda, prout probant omnes circumstantiæ. Nec enim fundamentum Ecclesiæ visibile aut sensibile dici potest, siue ex confessione aduersarij Petrum, (nec enim videri potest) siue Christum (est enim corporis mystici, mystico caput) siue confessionem fidei (est enim fides intellectu tantum perceptibilis) intelligas. Nec de Ecclesia cui præerat Timotheus, agit respectu visibilitatis suæ, sed qua pars erat Ecclesiæ Catholicæ inuisibilis, & verè domesticos tantum comprehendebat.

IIII.

Ecclesiæ nomen propriè aut figuratè dicitur per expositionem aut oppositionem duarum partium Ecclesiæ integralium: quæ sunt Pastores, & Grex. Nam propriè & absolutè significat vniuersum corpus: Oppositè verò

hanc aut illam Eccleſiæ partem: Loco vero citato Math 18. Eccleſia oppoſitè ſumitur, pro ipſis Eccleſiæ præpoſitis, qui vulgo Eccleſia, *repræſentativa* dicuntur.

V.

Quod argumentum non Scripturæ authoritate, ſed Auguſtini mala expoſitione nititur, nihil concludit. Eſt autem propria verſio (Soli poſuit tabernaculum in eis) & ſenſus genuinus, Deum poſuiſſe in cœlis tentorium, ſeu ſedem quandam ſplendidam Soli.

VI.

Eſai. 2. Dan. 2. Mich. 4. Math. 5. Reſp. A figuratis loquendi formulis, quibus dignitas ac maieſtas regni Chriſti, ſeu Eccleſiæ Catholicæ indicatur, ad viſibilitatem illius malè proceditur: aut enim interna eſt tota illa maieſtas Eccleſiæ qua Catholica eſt: aut ſi externa, Eccleſiæ non competit qua Catholica, ſed propter diuerſas ac particulares loci, temporis, & perſonarum circumſtantias. *Loci* quidem, quia de particularibus Eccleſijs verum eſt ſecundum quid, quod de Catholica abſolutè & ſimpliciter dici non poteſt. *Temporis*, quia illius diuerſa ratio & facies, vno enim tempore, magis conſpicua eſt Eccleſia quam altero, maximè vero conſpicua fuit tempore primæ prędicationis Euangelicę. Denique *perſonarum*, propter externum hominum concurſum, ſiue bonorum, ſiue malorum, quem ſuo tempore Auguſt. contra Donatiſtas probat fuiſſe frequentiſſimum.

VII.

VII.

Catholicismum Ecclesiæ non duo tantum tempora constituunt, sed omne tempus, à principio mundi ad finem sæculi. Nec aut ex circumcisione Ecclesia veteris populi, cognosci potuit; aut dona Spiritus sancti, in Nouo Testamento fuerunt visibilia. Non illud, nec enim omnes qui ex circumcisione erant, ad Ecclesiam Catholicam pertinebant; non hoc, quia Gratia Spiritus sancti non est sensu externo perceptibilis.

VIII.

Ecclesia æquiuocè dicitur, aut simpliciter & absolutè, aut κατὰ τὶ secundum aliquam particularem determinationem ipsius: Eccl. sia absolutè dicta, Angelos complectitur, κατὰ τὶ vero, aut vniuersitatem illam totam hominum in cœlis & in terra complectitur, eoque animas defunctorum, aut vniuersitatem illam hominum tantum quæ in terris est; horum qua electi sunt, societas mystica est, & spiritualis, eoque politicis societatibus malè comparata: Nec externa Sacramentorum societas de qua loquitur Augustinus, efficit, vt quis sit membrũ Ecclesiæ Catholicæ, sed tantum Ecclesiæ particularis.

IX.

Non sequitur, aut ex æquiuocatione, aut ex dispari Ecclesiæ ratione. Æquiuocatio est in vocabulo Ecclesiæ, quæ aut Ecclesiam Catholicam inuisibilem significat, aut visibilem: Dispar autem Ecclesiæ Iudaicę, & Pontificiæ ratio est, quia formam illius Deus impe-

rauerat: Pontificiæ verò minimè, & qui illi communicabant, communicabant in rebus sanctis, & ad Ecclesiæ rationem pertinentibus, non autem in quibuslibet promiscuè.

X.

Necessitas alia absoluta est, alia conditionata. Necessitas est absoluta, si salui esse volumus, vt nos adiungamus Ecclesiæ Catholicæ, extra quam nulla est salus. Necessitas vero conditionata est, vt nos adiungamus huic vel illi Ecclesiæ particulari: Conditio quippe duplex est, vnà si inuerimus quænam fuerit vera Ecclesia, altera si per temporum rationem, possimus nos illi adiungere.

XI.

A falsa posita definitione falsa educitur probatio, eoque & antecedens & consequens argumenti negatur.

XII.

Quæ citantur testimonia Patrum, aut de interna Ecclesiæ forma, agunt, vt Origenis, & Cypriani, aut de Ecclesiæ æternitate, non visibilitate, vt Chrysostomi, aut denique de Ecclesijs particularibus certi temporis, vt Augustini.

Pro MATERIA *Ecclesiæ, ac primò non Baptizatos & Catechumenos, pertinere ad Ecclesiam Catholicam, contra Bellarm. lib. 3. cap. 3.*

I.

COR. 5. Aliud est agere de non baptizatis propter infidelitatem: aliud verò de non bap-

baptizatis propter incapacitatem, ſiue ætatis, ſiue profeſſionis fidei; diuerſaque ſunt, Foris eſſe, & non Baptizari, Nam vt foris ſunt quandoque baptizati: ita & contra intus ſunt, quandoque non baptizati.

II.

Acto. 2. Appoſitio duplex eſt, vna ſecundum iudicium veritatis, & internam Chriſtianiſmi rationem, alia ſecundum iudicium Charitatis, quæ creditur eſſe propter externam ſignorum communionem. Illa propria eſt Eccleſiæ inuiſibilis: hæc vero Eccleſiæ viſibilis: De hac autem, non de illa agit locus.

III.

Corpus Eccleſiæ, & baptiſmus, æquiuocè dicuntur: Corpus enim vel externum eſt, vel myſticum, & ſpirituale. Baptiſmus itidem, vel externus eſt, vel internus, vel aquæ vel ſanguinis. De corpore Eccleſiæ externo ſunt omnes qui baptizantur aqua, de corpore vero Eccleſiæ myſtico, & ſpirituali, ſunt omnes qui baptizantur Sanguine Chriſti.

IIII.

Cathecumeni apud Patres diſtinguuntur à reliquis Chriſtianis duplici ratione, prima, ſecundum vulgi opinionem, nec enim inter Chriſtianos numerabantur qui non viderentur credere, licet crederent. Secunda, ſecundum Eccleſiæ formam, ad quam, quia non pertinent propriè, de Eccleſia non eſſe cenſentur, licet Eccleſiæ inuiſibilis membra ſint.

V.

Alia ratio est iuris, alia facti; ius habet ad Sacramenta, qui fidem habet: Facto autem ad sacramentorum communionem externam non admittuntur: nisi qui fidem profitentur.

Secundò Excommunicatos pertinere ad Ecclesiam inuisibilem, Cont. Bellar. lib. 3. cap. 6.

Excommunicatorum duo sunt genera: alij enim iustè, alij iniustè excommunicantur: Qui iustè, ij ex particularibus Ecclesijs eijciũtur, non autem ex Catholica simpliciter: est enim excommunicatio, non Ecclesiæ Catholicæ, sed particularis censura. Qui iniustè, nec ex visibili Ecclesia iure, nec ex inuisibili, iure, aut facto eiecti sunt. Quæ autem adferuntur Testimonia Scripturæ, seu Patrum, aut de ijs agunt qui iustè excommunicantur, aut de excommunicatione ex particularibus Ecclesijs, de qua quæstio non est.

Tertiò solos prædestinatos pertinere ad Ecclesiam inuisibilem contra Bellar. lib. 3. cap. 7.

I.

DIVERSA sunt, esse in particulari Ecclesia, & esse de Ecclesia Catholica. Illud est sese ad externam illam fidelium societatem adiungere, hoc vero, Christo vt membrum inseri & coniungi. Vnde & diuersa etiam sunt, eij-

ci

ci ex Ecclesia particulari,& eijci ex Ecclesia Catholica: illud fit per excommunicationem, hoc verò nulla ratione vnquam fieri potest: Loca autem quæ citantur Math.3. Math. 15. Mat.25. 1 ad Corinth.5. 2. ad Tim 2. de particularibus externis Ecclesijs vera sunt, non autem de Catholica. Adde quod à parabolis ducta argumenta, parum valeant vltra mentem spiritus Sancti.

II.

De Ecclesia esse aliquis dicitur duobus modis: aut secundum Dei electionem ac prædestinationem aut secundum vocationem externam ac temporalem: Illo modo, membrum est Ecclesiæ Catholicæ quisque fidelis, etiam ab æterno; hoc modo, nemo membrum censetur Ecclesiæ visibilis, nisi vocatus in tempore. Paulus ergo fuit de Ecclesia Catholica, etiam dum non esset de Ecclesia visibili, ante vocationem. Iudas verò non fuit de Ecclesia Catholicâ, etiamsi fuerit de Ecclesia visibili secundum vocationem externam.

III.

Prædestinatio consideratur dupliciter, vel abstractè seu absolutè, qua decretū illud Dei ab æterno complectitur, vel compositè & relatè qua media omnia complectitur, quæ ad exequutionem decreti illius necessaria sunt, vocationem, iustificationem, &c. Primo modo, omnis prædestinatus, membrū dicitur Ecclesiæ Catholicę: posteriori modo, nemo actu dicitur membrum Ecclesiæ visibilis, nisi qua vocatus, iustificatus, &c

IIII.

IIII.

Nec fratrum, nec Ecclesiæ eadem ratio est: Fratres enim dicuntur, qui aut in externa societate ac fidei professione coniuncti sunt: aut qui idem ius adoptionis nobiscum habent; illi cognoscuntur, hi non. Itidem Ecclesia vel vt Catholica consideratur, vel vt particularis. Prædestinati Ecclesiæ Catholicæ membra dicuntur, non particularis nisi communiter.

Pro FORMA *Ecclesiæ, ac primò de Notis contra Bellar. lib 4. cap. 4. ad finem vsque libri.*

I.

MODVS argumentandi à nominibus inconsequens est, quia prout res certæ sunt: ita nomina quæ impositionis sunt, accidentaria, voluntaria, eoque incerta sunt. Nec, quod aut videri non potest propter ipsam vniuersalitatem, quæ intellectu tantum perceptibilis est, aut secundum dici ab alijs qui extra Ecclesiam degunt, communiter vsurpatur, Ecclesiæ nota esse potest, qua vera Ecclesia à falsa internoscatur.

II.

Antiquitas, vtpote res accidentaria, separabilis, communis, nec sensu perceptibilis: nota Ecclesiæ esse non potest: *Accidentaria* est, quia essentiam Ecclesiæ non constituit, sed ei accidit propter fluxum temporis. *Separabilis* est quia sine hac nota fuit aliquando Ecclesia, tùm vetus Ecclesia tempore Adami: tum Ecclesia noui

ui Testamenti, tempore Christi & Apostolorum. *Communis* est, quia, & mendacij seu hæreseos, sua est antiquitas. *Sensu* non est *perceptibilis*, quia mente tantum & ratione, ipsa Antiquitas dijudicari potest.

III.

Durationis, eadem plane ratio, quæ antiquitatis, cum vtraque ad tempus referatur & altera alteram capiat in se. Quæ autem de Ecclesia dicuntur, vera sunt de communi Ecclesiæ corpore: falsa vero, de Ecclesia singulariter seu Romana.

IIII.

Multitudo nec semper, nec soli, nec omninò Ecclesiæ competit. *Non semper*, quia etiam in pusillo grege, Christus Ecclesiam suam habet. *Non soli*, quia communis est affectio, etiam Synagogis Satanæ, quæ multitudine veram Ecclesiam longè superant. *Non omnino*, quia licet multi sint vocati, pauci tamen sunt electi.

V.

Successio alia doctrinæ est, alia personarum; illa principalis, hæc secundaria. Prior coincidit cum vera & essentiali Ecclesiæ nota. Posterior, nota esse non potest; tùm quia particularis est, Competit enim ex confessione aduersariorum tantum Ecclesiæ Romanæ, tùm quia accidentaria est, pro personarum, rerum, & locorum conditione.

VI.

Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua æquiuocè dicitur, alia enim est cum Ecclesia Apo-

Apostolica, alia verò cum Ecclesia aliquot superiorum sæculorum seu Romana. Priorem agnoscimus, posteriorem negamus, quia ignorauit purior Ecclesia, pugnat cum Scriptura, & cum hæreticis communis est.

VII.

Vnio alia est mystica, & spiritualis per vinculum fidei, alia externa per vinculum professionis: illa cum vera Ecclesię nota coincidit, hæc nota esse non potest, tùm quia non soli Ecclesiæ conuenit, est enim & improborum quædam vnio seu societas; tum quia non semper conuenit, oriuntur enim in Ecclesijs particularibus sæpius dissidia.

VIII.

Sanctitas doctrinæ, aut doctrinæ est Apostolicæ propriè, aut traditionum, & constitutionum Pontificum æquiuocè. Primo modo coincidit, cum vera & essentiali Ecclesiæ nota. Posteriori nulla ratione nota esse potest, quia incerta, & mutabilis.

IX.

Efficacia doctrinæ duplex est, vna salutaris, & electorum propria: altera vocatos communiter spectans, & gradibus distincta plurimis: Neutra tamen Ecclesiæ nota est. Non illa, quia interna, non hæc, quia variat.

X.

Sanctitas vitæ, authorum, siue primorum patrum, aut ad Patriarchas, Prophetas & Apostolos, aut ad alios doctores, ordinum Religiosorum institutores refertur. Quod ad primum

mum ordinem, talis vera ſanctitas eſt tantummodo electorum, ac proinde huius, illiuſue Eccleſiæ particularis nota eſſe non poteſt. Quod ad alterum, in doctoribus iſtis & inſtitutoribus ordinum Religioſorum, agnoſcitur quidem ſuperſtitio, ignoratur vero Sanctitas.

XI.

Miraculorum gloria, cum ad doctrinam, non ad Eccleſiam referatur, propriè illius, non huius nota dicenda eſt; eſt autem nota *accidentaria*, nec enim ſemper conuenit. *Particularis*, nec enim conuenit omni Eccleſiæ: denique, *non propria*, quia veritati & mendacio æque communis eſt.

XII.

Prophetiæ vox æquiuoca eſt: vel enim communiter ſignificat donum interpretationis, & intelligentiæ Scripturarum, aut ſpecialiter donum prædictionis. In prima ſignificatione, (de qua & Locus Ioelis intelligendus eſt) Prophetia cum vera nota & eſſentiali Eccleſiæ coincidit: habet enim rationem miraculi. Nec nota eſt poteſt, quia donum eſt extraordinarium in Eccleſia.

XIII.

Confeſſio aduerſariorum, & obſcura nota eſt, atque incerta, nec ſemper vera: Deinde, quæ ex lumine naturali tantum eſt, vmbram potius & imaginem veritatis habet, quam ipſam veritatem.

DE

DECIMOQVARTA & XV^a.

Quæ coniectura ex rebus, vel prosperis vel aduersis sumitur, incerta est: Nec exempla particularia regulam generalem constituunt, quia vt fœlicitas temporalis Ecclesiam non semper comitatur, sed Crux Christi: ita non semper Ecclesiæ hostes, infœlix exitus assequitur.

Ecclesiam visibilem posse deficere, contra Bellar. lib. III. cap. 13.

I.

ALIVD est agere, de Ecclesia secundum essentiam, aliud vero de Ecclesia secundum externam tantum & visibilem ipsius rationem ac formam. Secundum essentiam suam, Ecclesia deficere omnino non potest, Secundum externam verò & visibilem ipsius rationem, deficere potest, non vt in seipsa sit inuisibilis, sed vt ab hominibus videri & percipi non possit. Agunt autem loca Math. 18. 1. ad Tim. 3. de Ecclesia in primo sensu, non in secundo. Deinde Columna veritatis dicitur Ecclesia, non ratione architectonica, sed forensi, quod apprehensam sc. veritatem habeat Ecclesia.

II.

Quæ loca Math. vltimo. Eph. 4. Psal. 47. Esay. 61. apertam promissionem continent siue nomine Ecclesiæ, aut de fidelibus & electis omnibus

omnibus agunt tantum; aut de ministerij vsu perpetuo in Ecclesia necessario: aut de Ecclesiæ Catholicæ perpetua fœlicitate & gloria: aut denique de Ecclesiæ Euangelicæ propagatione, augmento & benedictione propter fœdus.

III.

Parabolæ quę citantur, Ecclesiam quidem secundum se visibilem esse demonstrant, quod non negamus. Necessitatem autem conspicuitatis illius glorioſæ, de qua controuersia est, non probant.

IIII.

Regni Christi æternitas de qua agitur Psalmo 88. Dan. 2. Luc. 1. ad externam Ecclesiæ gloriam & formam non pertinet. Nec eadem regni Christi, quæ regnorum mundanorum ratio est.

V.

Testimonia Patrum, aut disparia & dissimilia habent exempla, vt Augustini & Lirinensis: aut Causam non probant, quia Ecclesiam, non posse omnino interire testantur secundum quid vt Bernardi.

VI.

Diuersissima sunt, agere de Ecclesia visibili communiter dicta, & de particulari hac aut illa. Dende Ecclesia inuisibilis dicitur duobus modis, vel in se, vel oculis mundi & hostium ipsius Ecclesiæ.

LIBER

LIBER TERTIVS, DE SACRÆ THEOLOGIÆ secunda parte, 1. de Homine, varioque illius ſtatu, in hac vitâ & poſt hanc vitam.

PRIMA, & primariâ Theologiæ parte, quæ eſt de CAVSIS Salutis noſtræ, eòque de DEI OPERIBVS abſolutâ; ad Secundam, quæ eſt de SVBIECTO illius, id eſt HOMINE, varioque illius ſtatu ex ordine veniendum eſt.

TOTA HOMINIS cognitio, quantum illa quidem Theologum ac Theologiæ finem proximum, qui ſalus eſt ſpectat, ducbus velut locorum ac temporũ cancellis cõmuniter circumſcribitur. Duplex enim Hominis ſtatus neceſſariò dignoſcendus eſt; vnus in hac vitâ, dum in via eſt: alter poſt hanc vitam: cum vltimam, ſiue Fœlicitatis, ſiue mortis æternæ metam conſequetur.

In hac vitâ ſtatus Hominis duplex conſiderari ſolet ac debet, pro operum diuinorum (quæ quidem à Deo in creaturas tranſeunt actu externo ac temporali) diſtinctione. Vnus NATVRAE, alter GRATIAE. Ille hominem ſpectans, quâ

quâ ψύχικὸς est, secundum se; hic vero, quâ gratia Dei euehendus est supra naturam, & naturalem conditionem ipsius.

PRIOR STATVS Hominis in hâc vitâ, qui secundum naturam est; pro varia Naturæ conditione ac consideratione, dignosci ac distingui debet.

NATVRA autem Hominis duobus modis consideratur. Vno secundum *ortum* & *primogeniam conditionem* ac creationem illius: Altero vero, secundum *mutationem ac corruptionem* quæ subsequuta est, quâ homo ex bono naturali lapsus est, mutabilitate & culpâ suâ, in malum *naturæ* & *culpæ*. Vnde duplex Hominis status in natura exsurgit, Vnus INTEGRITATIS: alter CORRVPTIONIS.

DE STATV INTEGRI-tatis seu prima creatione Hominis ad imaginem Dei,

PARS Κατασκευαστικὴ.

STATVS INTEGRITATIS seu Prima Hominis creatio ante lapsum est, Opus singulare Dei in natura, quo hominem, creaturam rationalem, naturæ compositæ, ad imaginem suam condidit, ad gloriam suam & Hominis ipsius bonum.

CAVSA EFFICIENS est Iehoua Elohim, siue Deus in pluralitate personarum, & vnitate essentiæ: Vnum enim est operis ἀποτέλεσμα vnius

vnius essentiæ, licet pro distinctione personarum, operationis ordo distinctus sit. Pater enim creauit per filium mediante virtute ipsius Spiritus.

2 Gen. 1.27. [a] Effecit autem Deus tùm Antecedente communi consultatione, voluntate & consensione: tum Effectionis modo seu creatione, *immediatâ* quidem, si animam spectes, quam ex nihilo b Gen 2.7. Deus creauit infundendo, & infudit creando [b]: c Gen. 2.26. 27. *mediatâ* vero, si corpus, quod ex præexistente 1 Cor.15. 47. materiâ productum est [c].

MATERIA seu subiectum primi huius status, est Natura humana, prædita omnibus perfectionibus, quæ rei creatæ, in se possunt competere, pro conditione ipsius.

Materiam autem cum dicimus, non solum incorpoream, aut tantum Corpoream: sed ex vtraque compositam, & quasi temperatam intelligimus. Duæ enim sunt subiecti huius de quo agimus, seu Naturæ humanæ partes essentiales, *Corpus* & *Anima*; quorum veritas, *Ortu*, *Subsistantiâ*, & *qualitatibus*, dignosci ac distingui debet.

Ortu, quia, *Corpora* quidem primorum nostrorum parentum ex præexistente materia creata sunt; siue *propinquâ*, Euæ quidem corpus ex costa Adæ, Adæ vero ex puluere: d Gen.2.7. 22. [d] siue *remotâ*, ex quatuor elementis, quæ synecdochicè Terræ denominatione, tanquam elementi 1.Cor.15. 45. secundum substantiam, & quantitatem prædominantis, intelliguntur. *Animæ* vero ex nihilo creatæ sunt, vi infinitæ potestatis diuinæ, prout eadem

eadem ratione,& nouas quotidie Deus creat in singulis corporibus. Neque enim aut è corpore educuntur per traducem;sed in corpus inducuntur per creationem [a]: aut potentiâ materiæ eliciuntur, vt reliqua animalia, tam perfecta quam imperfecta. Spiritus enim sunt simplices qui nec diuiduntur,nec mutantur,nec corrumpuntur.

a Psal.33.15 Zach.12.1. Heb. 12.9.

Substantiâ, quia *Corpora* quidem substantię sunt compositæ,organis varijs instructę,per quę *Animæ* vires,& facultates suas exercent. *Animæ* vero substantiæ sunt tùm simplices, & immateriatæ [b](Nam collatæ ad alia materiata,ex nulla constant materiâ, nec materiã materiatã vllam habere, ortus & origo illarum docuit) tùm immortales non quidem absolutè per se, ex naturæ, aut compositionis lege (solus enim Deus ipsa vita per se immortalis est) sed Dei creatoris gratia, & voluntate diuina, qui talem eam condidit, vt licet principium habuerit, finem tamen non sit habitura [c].

b Gen.2.7. Act.17.28. Eccl.12.7.

c 1.Tim.6.16 Luc. 16.22. & 23.43.

Qualitatibus, quia *Corpora* quidem,& *incorruptibilitatem* habuerunt,non quidem in natura sua absolutè; omne enim ex contrarijs compositum corruptibile est, sed ex gratia Dei quâ poterat homo secundum corpus non mori,nisi suo vitio,mortem primam & secundam voluntariè sibi attulisset [d]: & *pulchritudinem*,Vt nulla fuerit in corpore, aut infirmitas, aut deformitas, sed *omnium* membrorum συμμετρία & virium omniũ pulcherrima εὐταξία [e]. *Animæ* verò quæ quidem humanæ sunt, & quâ tales,duas princi-

d Gen.3.19. Rom.5.12. Iaco. 1.15.

e Deut.6.5. 2.Cor. 9.7

principes facultates habuerunt, prout obiectum illarum duplex est; *Ens* & *Bonum*: *Intellectum* & *voluntatem*, ad quas aliæ velut subalternæ referuntur. Intellectus enim apprehendit, Ens, & verum: *vniuersale* quidem per se; *singulare* verò per sensum: *voluntas* verò propèdet ad bonum, quod quia in rebus ipsis est, non trahit & assumit res ipsas propriè, sed ab illis trahitur.

FORMA primi huius hominis status, IMAGINIS DEI ad quam homo creatus est, conditione & consideratione circumscribitur.

IMAGINEM autem Dei dicimus, similitudinem illam, qua homo, naturam sui conditoris, naturæ suæ modo conuenienti refert, tùm in *anima* propriè, tum in corpore propter *animam*, tum denique in persona tota ac integra, propter vtriusque vnionem.

In *Anima* quidem, siue *Naturam illius*, & substantiæ facultatem respicias, siue *facultates*; siue denique *habituum*, quibus illæ perficiuntur *qualitates*.

Animæ substantia, naturam Dei refert pro sua conditione & conditionis modulo tribus de causis. 1. quia prout illa, ita & hæc vna est, quāquam pluribus constet facultatibus tanquam partibus suis essentialibus (vnius enim individui vna est forma substantialis) 2. quia, prout illa, ita & hæc simplex, spiritualis, & immaterialis est: *simplex* respectu materialium: [a] *spiritualis* respectu corporum [b]: *immortalis* respectu originis [c]. 3. quia, vt illa, ita & hæc in-

a Act. 17. 26.
b Gen. 2. 9.
c Gen. 2. 7.

cor-

corporea & immortalis est. Nec enim aut corporis habet dimensiones, aut vitæ habitura est finem [a].

a Ezech 37. 4.5. Mat.10.28.

Animæ facultates, quæ quidem naturam Dei referunt, præcipuæ duæ sunt. *Intellectus & voluntas*, ille Imaginem Dei exprimens facultate omnia intelligendi [b], hæc vero libertate, quælibet obiecta volendi, & eligendi [c].

1. Cor.15.19. b Col 3.10. Eccle.17.6. c 1.Cor.7.37

Vtraque, & facultas intellectus, & libertas voluntatis duplex est. *Facultas quidem intellectus* vna *passibilis*, seu, παθητικὴ, quâ mens humana suapte naturâ capax est omnium rerum: altera *faciens* seu ποιητικὴ, quæ res potentiâ intelligibiles, vt actu intelligantur efficit. *Libertas vero* vna, est à *coactione*, quia non cogitur homo ad id quod à libera voluntate alienum est: altera ab *impedimento*, quia ab eo violenter, non impeditur, quod libera voluntas appetit [d]. Vnde primus homo poterat velle bonum & reprobare malum, & rursus reprobare bonum & eligere malum.

d 1.Cor.7.37 Rom 6.7. Rom 8.21.

Habitus qui facultates illas perficiunt duo sunt: Intellectum quippe perficit *sapientia*; Voluntatem vero *Iustitia*.

Sapientia est præstans & perfecta cognitio, tùm boni supernaturalis, qua Deum & suam in Deo fœlicitatem nouit: tum naturalis, qua nouit res creatas, earumque naturas [e].

e Colo.3.10 Rom.12.2.

Iustitia est ea voluntatis rectitudo, qua perfectè, id est internè, & externè, voluntati di-

diuinæ iuxta totam legem obediuit: quę iuſtitia, non perſonę tantum, ſed & naturę fuit; quià primus homo in ea & ad eam conditus eſt vt origo, & radix totius humani generis; vnde & *originalis* dicitur [a].

[a] Eph.4.24. 1.The.5.23. Eccleſ 9.29.

Atque hæc ratio eſt imaginis Dei in Anima.

In corpore verò, homo imaginem Dei refert, non quidem κατ' μέρος ſiue ſecundum ſe, reſpectu, aut ſubſtantiæ, aut figuræ, ſed tum reſpectu animę cuius inſtrumentum eſt, tum perſonæ cuius partem conſtituit. Nam & rectè intellecta, & ſanctè concupita in anima, promptiſſimè exequitur [b], & perſona, tanquam in ſpeculo limpidiſſimo, tum totum mundum ipſius creatoris & archetypi veritatem, & dignitatem repræſentat.

[b] 1.Cor.6. 19.20. 1.Theſſ.5.23

In *tota denique & integra* perſona imago Dei relucet, propter animæ & corporis arctiſſimam vnionem, tùm reſpectu totius illius hominis conſtitutionis; quam etiam ipſi fideles ita admirati ſunt, vt ex ea diuinam imaginem agnouerint: tum etiam reſpectu imperij in res inferiores omnes; cuius non ius tantum, & poteſtatem; ſed etiam vſum & exequutionem, primus homo à Deo accepit [c].

[c] Gen.2.19. Pſal.8.6.

FINIS primi illius hominis ſtatus, principalis quidem, & architectonicus, eſt Creatoris gloria [d], ſubordinatus verò, Creaturæ beatitudo & fœlicitas [e].

[d] Prou.16.4. Pſal.115.1 1.Cor.10.31

[e] Pſal.144.15 Ioh.17.3.

DE

DE PRIMO HOMINIS STATV.

PARS ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΑΣΤΙΚΗ.

Distinctiones.

Pro veritate imaginis Dei, ad quam homo creatus est, contra Bellar. cap. 3.

I.

GRATIA Gratum faciens, naturalem hominis conditionem, & originalem iustitiã non tollit, sed ponit: habuit enim homo à gratia illa, & veritatem naturæ, & qualitatem illius.

II.

Habitus gratiæ gratum facientis, à iustitia originali, ratione tantum non reipsa aut natura differt: quia illa ipsa iustitia, qua primus homo, à Deo donatus fuit, fuit habitus ille gratiæ, propter quem homo Deo gratus, & acceptus fuit.

Contra Bellar. cap. 4.

Duplex est Dei gratia. Vna, quâ possimus si velimus non peccare: altera, qua non solum possimus, sed etiam velimus non peccare; prima data fuit Adamo, non secunda, eoque hac eguit, illam vero accepit in creatione. Atque huius specialis gratiæ & auxilij necessitatem, in Adamo demonstrat August. in tractatu de corruptione & gratia. Nec contrarium euincunt, quæ adferuntur testimonia.

Contrà Bellar. cap. 5. & 6.

I.

Naturale dicitur æquiuocè, vel *causaliter*, quod à natura est, vel *subiectiuè*, quod in natura est, vel denique propagatione, quod cum natura communicatur: ita & supranaturale dicitur, vel quod natura nostra secundum se capere non potest; eoque supra naturæ conditionem est: vel in quo natura, nulla ratione agit aut operatur, sed sola gratia: vel denique quod naturali ratione non propagatur, sed diuino modo, supra ordinem naturæ communicatur. *Iustitia originalis*, naturalis dicitur, tum quia in natura & cum natura communicauit Deus, tum quia naturali propagine communicanda fuisset posteris si permansisset Adam. Supranaturalis autem nulla ratione dici potest.

II.

Conditio hominis respectu vnius partis, de qua agit locus Genes. 3. non tollit conditionem illius respectu alterius seu totius: homo enim totus, tum corpore, tum anima ad imaginem Dei factus est: nec locus Ecclesiastici contrarium infert, qui aut de externis hominum ornamentis agit tantum, aut de virtute, non supranaturali, sed naturali, prout ipsa verba indicant manifestè: nec parabola ex Lucæ 10. quæ non statum hominis post lapsum, sed officium charitatis erga lapsos, & miseros

ros explicat.

III.

Quæ adferuntur teſtimonia Patrum, non negant naturalem fuiſſe illam integritatem in Adamo: ſed naturæ gratiam additam fuiſſe teſtantur, quod quidem fatemur, & docemus libentiſſimè.

IIII.

Quæ adferuntur rationes, euanidæ ſunt: *Prima*, quia materiam & formam, licet diuerſiſſima, coniunxit Deus, vinculo pacis & amoris naturali. *Secunda*, quia corruptio conſequuta eſt, non quidem ex integritate illa, in qua homo conditus eſt, ſed ex conditione mutabilitatis, quæ cum illa coniuncta erat. *Tertia*, quia diuerſa eſt ratio peccati Adami, quo à primogenea illa integritate deſciuit, & peccatorum actualium noſtrorum. *Quarta* & 5. quia reparationis, ſeu recreationis non eadem ratio eſt, quæ primæ creationis. Illa enim facta eſt in natura, hæc fit ſupra naturam. Nec abſurdum eſt nomen filij Dei Adamo in ſtatu illo integritatis conceſſum, vtpote, qui in naturali illa conditione imaginem Dei retulit, ad quam creatus erat.

De ſecundo Hominis Statu, qui corruptionis eſt.

PRIMVM hunc INTEGRITATIS ſtatum, alter qui CORRVPTIONIS eſt mox excepit & ſubſequutus eſt. Eſt autem,

Hominis conditio, quâ bonum à se & se à bono auertendo illudque in contrarium abalienando, per se & secundum se totus perijt. Atque hæc conditio duobus modis cognosci debet, secundum *qualitatem* & *quantitatem* ipsius. Nam primum de CORRVPTIONE videndum est, quam culpa & vitiositate sua, homo sibi acquisiuit: deinde de VIRIBVS HVMANIS quæ post corruptionem illam in homine remanserunt. Corruptionis doctrinam locus de PECCATO: Virium autem humanarum, locus de LIBERO ARBITRIO circumscribunt, & explicant.

DE PECCATO,

PARS Κατασκευαστικὴ.

PECCATVM cuius denominatione, CORRVPTIONIS humanæ qualitas, in scriptura indicari solet: in *genere* quidem ἀνομία definitur [a], i. defectus boni legitimi, à Deo inditi naturæ nostræ, qua homo declinans à bono, neque nisi inclinans ad malum, reus fit iræ Dei, damnationis & pœnæ æternæ. In *specie* autem tripliciter, distingui, definiri & per causas explicari debet. Tres enim Peccati gradus sunt. *Principium* illius in Adamo: *propagatio* ab Adamo in nobis, & *effectus* illius à nobis. Vnde de *Peccato* Adami, de peccato *Originali*, & de peccato *Actuali* ex ordine simul videndum est.

a Ioh. 3. 4.

PEC-

PECCATVM ADAMI est actus inobedientiæ in Adamo, tanquam indiuiduo singulari, & principio communi omnium, quo, legem Dei violando, se & suos in æternum perdidit[a]. a Genes. 3. Rom. 5. 2. Cor. 11. 3.

PECCATVM ORIGINALE est, Vitiositas hæreditaria, qua propter inobedientiam Adami omnes ex eo naturaliter, aut propagati, aut propagandi, vtriusque mali, tum culpæ, tum pœnæ, rei efficiuntur[b]. b Psal. 51. 7. Eph 2. 3.

PECCATVM ACTVALE est iniquitas seu ἀνομία, qua in actionibus nostris à rectitudine legis aberrantes, reatum & culpæ, & pœnæ indies augemus[c]. Rom 5. 12. c Mat. 12. 34. Iac. 1. 13. 14. 15.

CAVSA EFFICIENS *Peccati* Adami seu principium illius duplex assignari potest, secundum prius & posterius, *Actiuum*, vt distincte loquamur, & *Actuale*. *Principium actiuum* est, potentia naturalis, ad vtrumque oppositum, bonum & malum morale[d]. *Actuale* est, quo per actum inobedientiæ, potentia illa sua, voluntas hominis abusa est, ad malum: adeoque potentiam ad bonum amisit, eamque in contrarium abalienauit[e]. Rom. 7. 8. d 1. Tim. 2. 13 Rom. 5. 12. e Gen. 3 6. Rom. 5. 19. Eccles. 10. 15.

CAVSA EFFICIENS peccati Originalis tribus modis seu gradibus considerari & dignosci debet. *Externa* quippe causa duplex est, *interna* vna.

Externa, *proxima* quidem est peccatum Actuale Adami, tanquam principij mediati, & communis, totius naturæ humanæ[f]. f Rom. 5. 12. 19.

Remota vero est iustitia Dei, quam in natura Deus adumbrauerat, & sermone enuntiatiuo
a Genes. 3. expressérat [a].

Interna causa, est ipsa Naturæ lex originaliter transiens, cuius legis duplicem Deus posuit ordinationem, altera propagationem imperauit absolutè, altera pœnam minitatus est conditionaliter. Priore, instruxit & hominem, & in homine naturam; posteriore solum hominem: hinc factum est vt ex ordinatione illa propagationis, gignatur homo: ex ordinatione
b Rom. 5. 12. 16. Heb. 7. 9. 10. vero pœnæ, gignatur vitiosus [b]. Vtrumque æquè necessariò.

c 1. Cor. 15. 22. CAVSA EFFICIENS peccati Actualis, propria & proxima est voluntas, quæ imperat
c Gen. 6. 5. Iac. 1. 14 15. actũ, & in qua tota mali actio residet tanquam in agente instrumento [c].

MATERIA peccati primi Adami, quæ quidem *subiecti* rationem habet, est persona tota
d 1. Cor. 15. 22. & integra Adami, & in eo tanquã actiuo principio, natura tota humani generis [d]: quæ vero *obiecti*, est ipsa fructus prohibiti apprehensio,
e Gen. 3. 4. 5. illiusque vsus, seu esus [e], quorum vtrumque, contemtum diuini mandati, consensum impium liberrimæ voluntatis, denique miserrimã à Deo ἀποστασίαν, totiusque hominis inobedientiam includit [f].

f Psal. 51. 5. Tit. 3. 3. 1. Cor. 2. 14. Rom. 7. 23. Eph. 2. 1. 2. 3. &c. MATERIA Peccati Originalis, quæ itidem *subiecti* rationem habet, est totus & omnis homo, secundum se totum, & totum sui. Totum enim subiectum subiacet toti peccato

tum

tum ratione ὅλου, (nam totus totum recipit,) tum virtutis & modi, (nam totus totum agit & operatur) adeoque totum peccatum, hominem totum afficit & inficit, contactu σωματικῷ & ἐνεργητικῷ [a]. Quæ verò *obiecti*, primo quidem est defectus seu carentia iustitiæ originalis; deinde inclinatio & qualitas, iustitiæ & rectitudini illi contraria, quæ natiua corruptio & concupiscentia originalis vulgo dicitur. Priorem probat ea Scripturæ testimonia, quæ de peccato loquuntur negatiuè vel priuatiuè: posteriorem, quæ de peccato loquuntur affirmatiuè vel positiuè [b].

a Rom.5.6.7. Rom.6.6. Gal.5.16. Col.2.11. Rom 8.3.&6 Eph.4.17.18

b Mat.12.34 Mat.7.21.

MATERIA Peccati Actualis, quæ quidem *subiecti* rationem habet, est homo secundum corpus & animam, & vtriusque tum corporis, tum animæ facultates omnes [c]; quæ verò *obiecti*, sunt dicta, facta, & concupita contra legem, siue omissionis, siue commissionis sint: siue ex infirmitate, siue ex malitia: siue externè, siue internè perpetrentur: Vnde multa peccatorum genera exsurgunt, eaque neque sibi inuicem paria, neque connexa, sed alijs alia grauiora, quin sæpe alia alijs contraria d.

c Gal.5.19. 20.&c. Math.15.19 Rom.14.1. Ephes.2.3. Rom.15.18. Coloss.3.17. Gal.6.1. Iac.4.17.

d Ioh.9.11. 2.Pet.2.20. 21.

Hinc etiam discrimen inter Peccatum remissibile & irremissibile, quorum illud peccatum dicitur quod in Patrem & Filium committitur, id est, quæuis legis diuinæ transgressio cui accidit Resipiscentia, eoque quod remissibile dicitur, non proprietate naturæ

suæ, sed gratia & misericordia eius, in quem
a Mat.12.31 committitur[a]. Hoc vero peccatum dicitur, quod committitur in Spiritum sanctum, eoque
b Mat.12.31. blasphemia spiritus, & peccatum ad mortem
1.Ioh.5.16. κατ' ἐξοχὴν in Scripturis dicitur[b]. Tria autem concurrunt ad peccati huius constitutionem. Primò *abnegatio veritatis* contra scientiam & conscientiam. Secundò ἀποστασία vniuersalis à Christo, non autem particulare peccatum aduersus primam vel secundam legis tabulam. Tertiò *rebellio* ex odio veritatis nata, coniuncta cum tyrannica, sophistica & hypocritica oppugnatione. Atque harum conditionum mutuus inter se nexus est, & sequela. Dicitur autē *peccatum in Spiritum* sanctum, non respectu essentiæ aut personæ diuinæ spiritus, sed respectu officij, id est gratiæ & illuminationis, cuius Spiritus sanctus proprie effector est.
c Mat.12.32. Marc.3.29. *Irremissibile*[c] verò dicitur tribus de causis, primo propter iustum Dei iudicium, qui non patitur Spiritum suum, qui spiritus est veritatis, mendacij argui. Secundò propter impœnitentiam, seu resipiscendi difficultatem. Tertiò propter veritatem & dignitatem redemptionis per Christum partæ. Nulla quippe alia
d Heb.6.4. Heb.10.20. restat hostia, vbi à Christi hostia discessum est[d].

FORMALE peccati primi Adami duplex est, prout diuerso respectu peccatum illud
e Rom 5.19. Rom.5.14.15 1.Tim.2.13. aut *qualitas* est, aut *relatio*. Quà qualitas, formale illius est, *inobedientia*[e]: qua relatio, formale illius est *reatus* seu obligatio ad pœnā æter-

æternam. Inobedientia actu transijt. Reatus vero imputatione in omnes posteros propagatus est[a]. a Rom.5.12 1.Cor.15.22

FORMALE Peccati Originis, dupliciter itidem sumi solet, vel pro Reatu, qui tamen peccati illius consequens magis necessarium est, siue accidens proprium; vel pro tota illa totius naturæ deformitate, quæ non infusa, neque imitatione acquisita, sed naturalis, siue vt loquuntur, connata est, non ex vitio naturæ communis, sed ex vitio instrumenti primogenei, ex quo omnes descenderunt naturaliter b. b Psal.52.7.

FORMALE Peccati Actualis, est inordinatio, adiuncta, dicto, facto & concupito contra legem, quæ ab ipsis actionibus & motibus discerni debet tanquam defectus ab effectu. Neque enim Peccatum formaliter est ipsa actio sed vitium seu defectus actionis. Prout autem actiones hominis, duplices sunt, immanentes & transeuntes, quarum illæ à mente & voluntate immediatè, hæ mediatè per corporis membra, ceu instrumenta proficiscuntur: ita duplex est inordinatio, vna internà, altera externa[c]. Rom.5 12. 1.Co.15.22. Eph.2.3. c Rom.14.1. Eph.2 3. Gal.5.16. Rom.15.15. Colos.3.17. Rom.6.19.

FINIS Peccati Primi, Originalis & Actualis vna eademque ratione, & consideratione, dignoscì debet. Dignoscitur autem duobus *modis*: *Primo ex Accidente*, respectu Dei, Peccatũ ad iustum finem ordinantis, & gloriã suam demonstrantis sapientissimè, tũ operibus iustitiæ, in eos qui dant peccatis operam, tùm operibus misericordiæ in eos quos à peccatis liberat propter

Christum. *Secundò, secundum se*, respectu Hominis, in quo peccatum est, quo respectu, finis peccati, propriè dari non potest. Dantur autem loco illius, *consequentia*, seu *effecta* duo. Reatus, & Pœna [a]. *Reatus* nomine intelligimus, vinculum illud inter peccatum, & pœnam, quasi medium interiectum, quo arctissimè & ad subitionem pœnæ, & in ipsa subitione, ad continuationem obligatur peccator. *Pœna* est mors vtraque, tum corporis temporaria, tum animæ simul cum corpore æterna; quibus coniunctæ sunt afflictiones tanquam vtriusque præuiæ. Hæ autem beneficio quidem Dei in veré fidelibus sunt aut Διορθωσεις aut Μαρτυρια, aut paternæ castigationes: in impijs vero tantum natura sua sunt τιμωριαι & pœnæ. Atque hæc effecta duo omnes omnino homines in statu naturæ consideratos, sine vllo ætatis discrimine obstrictos tenent, etiam infantes, qui & reatum habent, & pœnam, tum damni, tum sensus experiuntur acerbissimam, nisi gratiosè auertat Deus. Auertit autem propter fœdus in infantibus fidelium, in quibus peccatum per Baptismum aufertur, tum extenuatione sui, tum solutione reatus; non autem quod desinat aut esse in omnibus æqualiter, aut agere in iam adultis inæqualiter. Remanet enim actu, etiam post baptismum, corruptio illa nativa seu naturalis [b].

a Gen. 2. 17. Rom 6. 23. Ephes. 2. 3. 2. Thess. 1. 9.

b Rom. 7. 18. Exod. 34. 7. Pro. 20. 9. Iob. 9. 20.

DE

DE PECCATO,

PARS ἀναγνωστικὴ.

Pro CAVSA EFFICIENTE *Peccati primi.*

Diſtinctiones.

I.

IN lapſu Adami tria concurrunt principia, quæ diſtingui ac dignoſci oportet. *Externum vnum, interna* duo, *commune* & *ſingulare.* Principium *externum* vniuerſale eſt Deus reſpectu actionis. *Internum commune* Natura eſt, quæ hominem ad actionem mouet naturaliter. *Internum ſingulare* eſt voluntas hominis penes quam conſiſtit principalitas cauſalitatis, qua actio talis eſt.

II.

Dupliciter Adam conſiderandus eſt, aut vt perſona ſingularis, aut vt radix totius generis humani. Si priori modo, Inobedientia Adami fuit illi peccatum proprium: ſi ſecundo, nobis fuit cum illo commune.

Pro CAVSA EFFICIENTE *Peccati Originalis.*

I.

Efficiens Peccati huius, aut *totalis* eſt, vt loquuntur, aut *partialis*. Quæ partialis eſt, impropriè & accidentariè cauſa dicitur occaſionis ipſius reſpectu: eſtque arbor ſcientiæ

ſcientiæ, & veteris illius ſerpentis inſtigatio. Quæ totalis eſt, ipſe homo eſt per modum propagationis.

II.

Propagatio peccati, fit duobus modis, tùm per modum *generationis*, tum per modum *culpæ*. *Generationis*, quia per corpus gignentis transfunditur peccatum in corpus geniti materialiter: in animam verò illius cauſaliter, idque partim ex Dei deſertione, partim ex corporis, in quod anima infunditur contagione. *Per modum culpæ*, quia Adamus, pro conditione ſua in qua conditus fuit, per offenſam ſuam, tanquam per portam quandam, tranſmiſit in omnes poſteros quicquid fuit in ipſo mali.

III.

Anima hominis duobus modis conſideratur, aut ſecundum ſuam eſſentiam, aut ſecundum ſuam ſubſiſtentiam. Secundum eſſentiam eſt à Deo; ſecundum ſubſiſtentiam eſt ab homine generante, qui genito communicat ſingularem illum ſubſiſtendi modum in corpore.

IIII

Totum naturæ diſtingui debet à totâ naturâ, quia illud habemus ex natura communi abſolutè, ex Dei ordinatione: hanc verò mediatè à parentibus, tanquam principio inſtrumentali illius.

Pro

Pro CAVSA EFFICIENTE *Peccati actualis.*

I.

IN peccato actuali duo sunt, Ens, & ἀνομία. Entis author Deus est, & principalis efficiens; Ἀνομίας voluntas hominis.

II.

Deo permittente dicitur aliquid fieri duobus modis, vel per se, vel per accidens. Quod Deo permittente per se fit, rationem habet boni, quod autem fit per accidens Deo permittente, illud ipsum Dei permittentis respectu per accidens malum est, quia malum qua malum, Deus non permittit, sed qua medium est gloriæ suæ.

Pro MATERIA *Peccati primi.*

Peccatum primum non fuisse superbiam, sed incredulitatem, contra Bell. libro 3. de Amiss. Gratiæ, Cap. 5. & 6.

I.

ECCLESIASTICI. 10. 14. Fallacia est διαβολῆς τῆς λεξεως. Nec enim superbia est initium seu causa ἀποστασίας & discessionis à Deo, verum contra ipsa ἀποστασία & discessio à Deo, quæ incredulitate circumscribitur, initium & causa superbiæ statuitur.

II.

Tobiæ 4. Resp. Agit locus non de ordine actuum

actuum diuersorum in peccato primo, verum de effectu superbiæ seu perditione, cuius initium, superbiæ attribuitur verè & propriè, non tamen exclusiuè.

III.

Rom. 5. Resp. Inobedientia complectitur totum peccatum Adami, nempè violationem mandati Dei, quæ si in partes suas resoluatur, prima erit non superbia, sed incredulitas.

IIII.

Quæ adferuntur testimonia Patrum, aut non agunt de ordine Peccati primi, verum de proximo illius adiuncto, aut synecdochicè per superbiam, ipsam incredulitatè tanquam causam illius immediatam intelligunt.

V.

Actus interiores, duobus modis dignoscuntur, vel respectu intentionis, vel respectu exequutionis, quorum illa finem, hæc media propriè spectat. De Peccato autem primo cum agitur, non quæritur, quid primum fuerit in intentione Adami & Euæ, verum quis fuerit primus actus commissionis peccati.

Pro MATERIA *Peccati Originalis.*

Peccatum Originis esse qualitatem seu Concupiscentiam, contra Bell. lib. 5. cap. 15.

I.

POSITIVA causa peccati Originalis triplex datur. Prima, peccatum Actuale Adami.

Secunda,

Secunda, Lex naturæ originaliter transiens. Tertia Iustitia Dei.

II.

Transmittitur positiua qualitas ad posteros, qua ratione transmittitur peccatum ipsum, non tanquam naturæ accidens aliquod concreatum, quod substantiam per se comitetur; verum tanquam totius hominis, totalis corruptio, quæ fundamentum habet in Adamo tanquam instrumento primo, ipsius naturæ. Nec habitus acquisiti transmittuntur in prolem, qua personales sunt, verum qua Naturæ totius nomine, vnus pro omnibus acquisiuit.

III.

In Concupiscentia duo concurrunt, ipse actus concupiscendi, qui per se malus non est, & actus illius deformitas. Istius Deus author est, huius author vt sit, nullo modo necessum est.

IIII.

Primum peccatum non tantum fuit peccatum corporis, verum & animæ. Vnde non tantum fuit esus fructus vetiti, verum etiam in anima incredulitas & superbia, eoque totum peccatum transmittitur in corpus & animam, non tantum per legem generationis, per quam homo hominem fundit, verum etiam pro corruptione generantis, qua homo corruptus, corruptum gignit.

V.

V.

Non diminuta est qualitas, tùm quia iam, velut in alteram naturam transijt, tùm quia non nisi gratia Dei singulari, siue imminui siue aboleri potest.

VI.

Concupiscentia Carnis contra Spiritum, non tantum significat primos illos motus consensu destitutos, verum radicem ipsam mali, totamque corruptionem, quæ non tantum est appetitus, sed etiam reliquarum facultatum animæ.

XIII.

Originale Peccatum tollitur in hâc vita regeneratione Baptismi, non vt non sit, sed vt in culpam non imputetur.

Pro MATERIA *Peccati Actualis, contra distinctionem peccati Venialis & moralis. Bell. lib. 1. cap. 9. 10.*

I.

TESTIMONIA Scripturæ distinctionis veritatem ex sententia aduersarij non probant aut confirmant. Non *primum* Matth. 5. agit enim de inæqualitate non tantum peccatorum, sed & pœnarum, per allusionem ad pœnas ciuiles & politicas. Non *secundũ*: Mat. 23 agit enim de natura hypocritarũ, qui minutis anxij, præcipua ex professo negligũt, nec distinguunt, ea quæ per se & semper sunt necessaria,

ab

ab ijs quorum non priuatio, ſed contemtus nos reos facit. Non *tertium* Luc. 6. agit enim de ijs qui laudem ex aliorum reprehenſionibus captant, ſeipſos autem non norunt aut redarguunt, in alijs ſc. perſpicaciſſimi, in ſeipſis cæci. Non *quartum*, Lucæ 12. Agit enim de charitatis officio in proximum, quo obſtringimur exemplo bonitatis diuinæ, etiam minutiſſima peccata condonare. Non *quintum* 1. Cor. 3. agit enim de doctrina & docendi modo, & quidem ex hypotheſi ad Corinthiorum doctores accommodatâ. Non *ſextum*, Iac. 1. Agit enim de peccati gradibus, qui tres ſunt, vitioſitas, vitioſus motus, & vitioſa actio. horum autem omnium merces ſtatuitur mors. Non *duo poſtrema*, Mat. 12. Agit enim de natura Peccatorum etiam leuiſſimorum, propter quæ tamen rei ſiſtimur coram Deo. Eph. 5. quia ſynecdochicè & peccatorum grauitas & eorundem effectus explicantur.

II.

Teſtimonia Conciliorum & Patrum, aut ſuſpecta ſunt & controuerſa, vtpote Concilij Tridentini, & Pontificum Pij & Gregorij, aut agunt de inæqualitate, & varijs peccatorum gradibus, vt Concilium Mileuitanum, & ex Patribus Auguſt. Origenes, Chryſoſt. & Hieronymus.

III.

Quæ rationes adferuntur nihil probant. Non *prima*, quia nititur duplici falſo præſuppoſito. Vno, peccata in fidelibus nõ eſſe mortalia, ſtipẽdium

dium quippe peccati qualecunque sit, nisi remittatur, mors est. Altero, peccata infidelium esse leuiora peccatis fidelium, eoque natura sua venialia. Quod enim peccata in fidelibus venialia sint, non est à natura peccatorum, sed à gratia Dei; quod non sint in infidelibus, non est à Deo, sed à naturâ, tum peccatorum, tum peccantium. Non *secunda*, quia non ideo veniale peccatum dicitur, quod venia sit dignum, sed quod veniâ peccatum, & peccatorem dignetur Deus. Non *tertia*, quia falsum est, tum peccatum esse veniale ex natura suâ, tũ quod aliquod peccatum non repugnet Charitati: Est enim legis transgressio, cuius finis est Charitas. Non *quarta*, quia alia est ratio hominis offensi, alia Dei, secundum enim partem offensam, æstimari solet grauitas ipsius offensæ. Non *quinta*, Nullum enim peccatum imperfectum est, cum omne peccatum sit perfecta ἀνομία, licet perfectionis huius sint gradus. Non *sexta*, quia, licet omnia peccata Charitatem non excludant, offendunt tamen. Quod autem non excludant, aut venialia sint fidelibus, non ipsi peccato, sed Dei in Christo misericordiæ imputandum est.

DE LIBERO ARBITRIO,
PARS Κατασκευαστικὴ.

HOMINIS conditionem sub PECCATO, sequitur consideratio VIRIVM HVMANARVM quæ post peccatum in homine reman-

manserunt, & LIBERI ARBITRII nomine vulgo explicari & circumscribi solent. Naturam autem doctrinæ huius, tribus modis dignosci necesse est. Primò communiter & absolutè secundum causas suas; secundò singulariter secundum rationem & conditionem Hominis peccatoris. Tertiò respectiuè & comparatè pro vario hominis statu extra rationem peccati, siue Integritatis, siue redemtionis, siue Gloriæ.

COMMVNITER & absolutè LIBERVM ARBITRIVM definitur, Naturalis potentia seu facultas animæ, suo ac proprio motu, sine coactione, eligendi vel repudiandi bonum aut malum, quod voluntati, à mente seu intellectu eligendum, aut repudiandum proponitur.

CAVSA EFFICIENS huius liberi Arbitrij duobus modis distingui solet, alia siquidē primaria est, alia vero proxima; Primaria Deus est, principium non tantum omnis boni in natura, sed & naturæ ipsius, illiusque facultatum & functionum[a]. Proxima, est ipsum Arbitrium, id est, voluntas Hominis, quæ ex præuio rationis iudicio, sponte sua, id quod obiectum est à mente, amplectitur eligens, aut repudians fugit[b].

a Gen. 45. & Pro. 16. 1. Ier. 10. 23. Phil. 2. 13.
b Esai. 1. 19. 20. Mat. 23. 37. 1. Reg. 3. 5.

Huius voluntatis duplex ratio haberi solet. Vna secundum *speciem*, altera secundum *operationem*. Secundem speciem, facultas dicitur volendi vel nolendi, secundum operationem, facultatis illius functio seu actio dicitur,

siue

siue circa fines impropriè, siue circa media ad fines tendentia propriè occupata.

MATERIA vel *subiecti* vel *obiecti* rationem habet.

Quæ *subiecti*, quatenus à nobis hoc loco consideratur, est substantia creata, intelligens, ratione prædita, in qua scilicet: intelligentia & voluntas partes sunt essentiales analogicè; Libertas vero his partibus inesse dicitur, vt subiecto accidens separabile.

Quæ *obiecti*; generaliter quidem id omne est, quod in electione est positum, specialiter verò est morale bonum & malum, quo liberè fertur Creaturæ arbitrium, aut quod auersatur liberè, De libero autem arbitrio in causa naturalis boni, quæstio magis Philosophica est, quam Theologica.

FORMA liberi arbitrij, est ipsa arbitrij seu voluntatis electiuæ libertas, quam doctrinæ causa tribus modis distingui & cognoscere necesse est. Alia siquidem libertas est *in subiecto*, alia *ad obiectum*, alia denique ab *impedimento aduersante*; quæ tria cognoscere necesse est, ad formę huius cõstitutionem, & libertatis humani arbitrij conditionem.

Primo quidem requiritur, *Libertas in subiecto*, id est, in ipsa voluntate, quæ ab interno principio suo semper agit liberè, idque ratione naturæ suæ, secundum quam libera volendi necessitas illi imponitur, ita vt voluntas non sit dicenda, quæ hâc libertate spoliata est. Voluntas enim cum libertate, velut cum essentiali

suo

suo proprio reciprocatur.

Deinde requiritur *Libertas ad obiectum*, siue ad vtrumque per disiunctionem oppositum, aut bonum puta, aut malum morale, quorum vnum, præ alio eligitur, aut repudiatur: siue ad alterutrum, cum vnum tantum acceptandum aut respuendum proponitur.

Denique, requiritur *Libertas ab impedimento aduersante*. Libera enim est voluntas hominis, & à coactione, & à necessitate. *A coactione*, quia sponte facit quod facit. *A necessitate*, quia licet ratione speciei, necessariò determinetur ad agendum, aut bonum tantum, aut malum tantum, aut vtrumque: tamen ex intrinseca potentia determinat se ipsam liberè, ad actum suum eliciendum; Vtrumque tamen libertatis modũ distingui necesse est, tũ à *Libertate iuris* tum à *libertate seruitutis*. *Illam* homini natura: *hanc* naturæ corruptio denegauit. Libertatem iuris non habet qui alteri ex debito obnoxius est, & ipsius arbitrio viuit, mouetur & agit[a]. Vnde soli Deo omnis αὐτεξουσία tribui & assignari debet. Libertatem à seruitute non habet, qui culpa suâ, seipsum peccato illiusque tyrannidi mancipauit[b].

a Pro 21.1. Act.2.23.
b Ioh.8.34.

FINIS est gloria Dei in Iustitiâ & misericordia sua, hominisque salus, seu ἀπολύτρωσις.

SINGVLARITER in statu corruptionis LIBERVM ARBITRIVM definitur, Naturalis facultas & potentia liberè, ac sine coactione eligendi ac præstandi malum; quod voluntati à mente eligendum ac præstandum proponitur,

CAV-

CAVSA EFFICIENS primaria, Deus eſt; tum Arbitrij, tum libertatis ipſius reſpectu, vtpote, qui vtriuſque ſecundum naturalem conditionem, author & principium eſt. Proxima vero ſunt mens & voluntas hominis, quatenus vtraque per corruptionem naturæ, à bono auerſa, & ad malum conuerſa eſt, eoque illa quidem falſum pro vero ponit, & iudicat: hæc vero malum pro bono eligit & ſequitur [a].

a Tit.1.15. 1.Cor.2.14. Rom.8.7. Rom.5.6. 2.Tim.2.26.

MATERIA quæ *ſubiecti* rationem habet, eſt homo animalis, ſeu ψυχικὸς. quæ vero *obiecti*, eſt malum, ad quod vtriuſque facultatis actiones feruntur.

Malum autem, ſiue ad internas, ſiue ad externas actiones referas, dupliciter conſideramus, abſolutè ſiue in ſe, & relatè ſiue ad aliud. *Abſolutè* malum eſt, quod à Deo ſtrictè prohibetur. *Relatè*, quod obiectis, circumſtantijs & fine, malum eſt, id eſt, aut non verè bonum eſt, aut ad ea quæ non verè bona ſunt, inclinatur.

Quia vero cum boni fit mentio, aut bonum naturale & morale ſecundum hominem, aut morale diuinum & ſecundum gratiam intellitur: maximum hic diſcrimen, cum agitur de libero arbitrio, ob eruandum eſt. Nam potentia hominis animalis, ſi ad res, quas, lux hæc naturalis reſpicit, referatur, omnino habet ſuas inclinationes ad bonum naturale, & bonum morale ſecundum hominem [b]. Sed quia omnis boni communicatio ex iudicio fit, iudicium

b Rom.1.19 20. Rom.2.15. Rom.2.14.

diciũ ex electione, electio ex cognitione, determinatur hominis potentia ad bonum, ex mensura cognitionis illius boni in homine. Cognitio autem illa non est vera, quia errat in modo veri, & aberrat à fine suo vero [a].

a 1.Cor.2.14 Ier.13.23. Mat.12.35. Rom.14.23.

Morale autem bonum *secundum gratiam*, quod supranaturale est, non nisi cognitione supranaturali quæ in homine animali non est, apprehenditur, eoque nec ad illud bonum inclinationes, aut motus vllos habet homo sub peccato. Potentia enim omni caret ad res supranaturales, etiam eâ, quam Philosophi ἀκτιπλῶ seu passiuam appellarunt; quia omnis potentia ex principio est; principium autem in homine naturali nullũ est, cum agitur de rebus diuinis, nec agendi in se, nec patiendi ab alio [b], Vtrumque in homine consideratum, est, à principio illo omnis aptitudinis ad bonum, & operationis illius in Christo.

b 2.Cor.3.5. Ioh.3.19. Phil.2.13. 1.Cor.1.18.

Vnde liquet potentiam ad bonum supranaturale non esse in homine animali: ad bonum naturale, esse quidem aliquam, sed quæ aberret in fine & modo, eoque propriè loquendo tantum esse ad malum, siue absolutè tale sit, siue relatè [c].

c 1.Cor.10.31. Rom.14.20. Tit.1.15. Ier.13.23. Mat.7.18. Rom.3.10. Ioh.3.6.

FORMA est libertas in *subiecto*, ad *Obiectum*, & *ab impedimento aduersante*. Voluntas enim hominis secundum se, est liberrima, & ad actum mali eliciendum seipsam liberè determinat, absque vlla, aut coactione, aut actus necessitate.

FINIS est gloria Dei in iustitia sua, & homi-

nis

nis ἀναπολόγητος seu iusta condemnatio.

COMPARATE LIBERVM ARBITRIVM duobus modis consideratur, pro duplici hominis conditione extra hunc corruptionis statum; integritatis sc. ante lapsum; & restaurationis à lapsu seu regenerationis.

In statu integritatis habuit homo liberum arbitrium seu libertatem voluntatis electiuæ ad vtrumque obiectum absque vllâ coactione, aut necessitate. Potentiam enim habuit, vt posset peccare & non peccare, vbi verò ad actum inobedientiæ deuenit, per actum, potentiam ad bonum amisit, quia hæc fuit natura hominis, vt potentiâ illa sua ad bonum abutens, in contrarium, bonum à se & se à bono auerteret a.

a 1.Cor.13. 13. 1.Ioh.3.2. 2.Pet.1.4. 1.Cor.15.28.

In *statu restaurationis* à lapsu, seu regenerationis; Liberum Arbitrium diuersimodè considerari & explicari debet. Cum enim homo in hoc statu, commune sit subiectum gratiæ & Peccati, hinc fit vt liberum Arbitrium habeat, & ad bonum, secundum gratiam, & ad malum secundum naturam; Quæ duo contraria cum non possint in gradu excellentissimo, eidem subiecto inesse, ex eo sequitur, hominem regenitum, aut secundum gradum excellentioris regenerationis, aut secundum gradum remissioris dignoscendum esse.

Qui *secundum gradum excellentissimum* regenitus est, huic subiecto nihil potest inesse contrarij, prout erit homini in altera vita, vbi liberum arbitrium, si ita dicendum est, erit ad bonum tantum, idque immutabiliter, adeo vt

velle

velle nil niſi bonum, & niſi bene, poſſit homo [a]. a 1.Cor.13. 13. Rom.7.18.

Qui vero *inferiore gradu* regenitus eſt, illi contraria ſimul ineſſe poſſunt & reuera ſimul inſunt. Potentiæ ergo liberi arbitrij in homine regenito, dum in hac vita eſt, *ſubiecto*, *obiecto*, & *modo* diuerſimodè dignoſci debent. *Subiectum* duobus modis conſideratur, tum ſecundum veterem hominem in quo naſcitur, tum ſecundum nouum in quo renaſcitur. Huius ſubiecti *obiectum* quoque duplex eſt, naturale malum reſpectu veteris hominis, ſupranaturale bonum reſpectu noui [b]. *Modus* autem horum omnium liber eſt, quia prout vetus homo, liberè contendit ad naturalia, ſic homo nouus liberè ad ſupranaturalia. Reſpectu ergo materiæ ſubiectum commune eſt, ſed reſpectu cauſæ efficientis, principiorumque inter ſe pugnantium, libertati vtrinque accedit impedimentum. Vnde lucta illa carnis & ſpiritus, de qua mentio, 7. ad Romanos. b 2.Cor.3 17 1.Ioh.3.9. Rom.8.2. Eph.2.5.

DE LIBERO ARBITRIO,
PARS Ἀναπτυκτικὴ.

Diſtinctiones.

I.

VOLVNTAS ſeu appetitus tribus modis diſtinguitur, alius quippe naturalis, alius ſenſualis, alius intellectualis eſt. Naturalis, eſt pura puta inclinatio formæ eſſentialis,

qua naturaliter ad perfectionem ſui homo contendit. Senſualis eſt vis animæ inferioris ſenſu non ratione actæ, ad hæc aut illa particularia. Intellectualis eſt, in creatura ratione prædita, reſpectu ſubiecti voluntatem ad diuerſa obiecta inclinans, quæ rationalis appellatur.

II.

Hæc voluntas rationalis tribus modis dignoſci debet, alia ſiquidem naturalis dicitur, qua natura fertur ſimpliciter ad illud appetendum quod apprehendit: alia electiua, qua voluntas inter duo, per diſiunctionem oppoſita eligit: alia denique voluntas per cauſam, qua homo à fine ſuo aberrat errore accidentali.

III.

Arbitrium interdum refertur ad intellectum, interdum ad voluntatem. Ad intellectum, ſiue διερητικὸν, ſiue πρακτικὸν, reſpectu rerum quæ cadunt in deliberationem: ad voluntatem, reſpectu rerum quę cadunt ſub electionem. Priori modo, ſolam mentem, poſteriori, (quo pacto à nobis hic accipitur) & mentem & voluntatem complectitur.

IIII.

Libertas alia eſt à ſeruitute, alia à coactione, alia ab immutabilitate ſeu neceſſitate. Libertas à ſeruitute ea dicitur, qua aliquis ſeruituti culpæ aut miſeriæ non eſt addictus. A Coactione ea dicitur, qua quis non poteſt cogi ad faciendum aliquid, vel patiendum contra naturalem

ralem suam inclinationem. Ab immutabilitate ea dicitur, quæ indifferenter seu contingentur se habere potest, ad vtrumque oppositorum, eoque potest agere & non agere, pati & non pati. Prima libertas non est in homine corrupto. Secunda est in omni homine, cuiuscunque status & conditionis. Tertia fuit in homine ante lapsum.

V.

Libertas alia dicitur à necessitate, alia à peccato, alia à miseria. Prima est naturæ: secunda gratiæ, tertia gloriæ.

VI.

Libertas vel propriè sumitur, pro libertate, quæ est in subiecto, ad obiectum & ab impedimento aduersante; vel improprie & synecdochicè pro harum libertatum vna.

Hominem non posse sine fide aut auxilio Dei speciali, bonum aliquod morale perficere, contra Bellar. lib. 5. de Grat. & lib. Arb. cap. 9.

I.

BONA opera dupliciter considerari solent; aut secundum externam ipsorum rationem, aut secundum internam; vtriusque respectu dicitur Deus bona opera remunerari. Illius quidem, quia bonitatem ciuilem præ se ferunt, quæ etiam Deo grata est secundum se; huius verò, quia secundum regulam & præ-

scriptum diuinum, in fide fiunt, ad Dei gloriam. Remuneratur autem Deus, non ex proportione meriti, sed ex gratia promissionis. Neque obstant loca Exod. 1. quia antecedens notatur benedictionis diuinæ erga obstetrices, non causa: Ezech. 29. & Dan. 4. quia ab externa remuneratione, ad qualitatem operis non valet consequentia. Solet enim Deus externam obedientiam externa remuneratione liberaliter compensare.

II.

Bonum dicitur æquiuocè, idque duobus modis, vel quod, aut reuera tale est, aut tale apparet, vel quod, aut secundum substantiam operis bonum est in se: aut quod perfectè bonum dicitur obiecto, subiecto, fine, aliisque circumstantijs. Bona opera dicuntur opera Ethnicorum, aut secundum apparentiam tantum, aut quod substantia operis in se bona sit, licet subiecto, obiecto, fine, aliisque circumstantijs sit malum.

III.

Qui Patres naturæ aliquid tribuere videntur, aut de externis illis, ciuilibus & politicis actionibus egerunt tantum, vt Basil. & August. aut de bono naturali vt Chrysost. aut de operibus secundum communem opinionem, vt Hieronym.

IIII.

In operibus Ethnicorum, quæ requiruntur ab aduersario ad constitutionem boni operis, desunt & omnia, & singula. Deest circumstantia finis,

finis, quia propter Deum non fit, quod propter mandatum ipsius & secundum regulam illius, aut propter Dei gloriam, non fit. A malitia causæ inquinatur actio, quia homo totus, totum peccatum est totaliter, non tantum secundum se, verumetiam secundum actiones suas. Nec bonum opus, cum naturæ viribus proportionem habet, quia bonum velle & facere, gratiæ est, non naturæ, eoque bona opera, naturæ non tantum difficilia, verum etiam impossibilia sunt. Nec contrarium probant absurda, quia bona opera facere tenemur ex debito, nec idcirco mala dicuntur, quod fiant simpliciter, sed quod non fiant benè.

Non esse liberum Arbitrium in actionibus pijs & salutaribus, contra Bellarmin. lib. 6. cap. 10. 11. 12.

LIBERTAS Voluntatis duobus modis considerari solet in homine regenito, prout duo sunt in illo diuersa & contraria principia, principium boni quod est spiritus seu pars regenita. Principium mali, quod est caro seu pars non regenita. Hinc Libertas voluntatis respectu primi principij, liberè vult bonum, respectu alterius liberè vult malum. Atque in hunc sensum liberum arbitrium in homine regenito, aut esse aut non esse diuersimodè enuntiatur.

HIC ſtatus hominis eſt ſecundum NATVRAM ET NATVRALEM CONDITIONEM IPSIVS, tum in primogenea conditione & creatione illius, tum in ſubſequuta mutatione & corruptione per peccatum. Alter hominis ſtatus in hac vita ſecundum GRATIAM VOCATIONIS quæ ſupra naturam eſt, dignoſcendus eſt.

Dignoſci autem debet duobus modis, prout vocatio Chriſtiana & ſtatus ſeu conditio hominis naturalis Chriſtiani in hac vita duobus capitibus circumſcribitur, FIDE & BONIS OPERIBVS. Sunt enim hæ duæ vocationis Chriſtianæ partes, & duo hominis Chriſtiani officia coniunctiſsima, Credere & facere. FIDES ſiquidem gratiam Dei in Chriſto amplectitur: BONA OPERA gratitudinem pro gratia illa teſtantur, & præſtant.

DE FIDE,

PARS Κατασκευαστική.

FIDEI nomine non externam Religionis & fidei profeſſionem hypocriticam [a], non notitiam & aſſenſionem de Gratia Dei temporalem [b]: non denique certam perſuaſionem de aliquo effectu miraculoſo, conceptam ex reuelatione aut promiſſione ſingulari, intelligimus [c]; ſed eam quæ proprie & ſimpliciter ſic dicitur, dequo ſolis & omnibus

a Mat. 13. 20. 21. Heb. 6. 4. 5. 6.
b Act. 8. 13. Iac. 2. 19.
c Mat. 17. 20. 1. Cor. 13. 2.

bus electis per se prædicatur. Vnde *saluifica & iustificans* vulgo appellari solet [a]. Est autem,

a Rom.3.28.

Donum Dei, seu habitus sanctus à Spiritu Dei inditus, quo pij, intellectu credentes diuinæ veritati, percipiunt certâ firmâque assensione voluntatis, promissiones salutaris beneuolentiæ, & gratiæ Dei in Christo, ad eius gloriam, & salutem suam.

CAVSA EFFICIENS Fidei duobus modis explicari solet, *primariò* vel *instrumentaliter*.

Primaria Fidei causa Deus est, qui προηγούμενον habuit suam εὐδοκίαν, ac solum gratuitum suæ voluntatis affectum, nulla vel præcedente nostræ iustitiæ præparatione, vel accedente operum nostrorum merito [b].

b Ioh.6.29. Ephes.2.8. Luc.24.32.

Instrumentalis Fidei causa duplex est, vna *interna* & præcipua, altera *externa* & adiuuans.

Interna præcipua est Spiritus sanctus, qui eam actione speciali, proximè & immediatè, supra naturæ ordinem, in electis gignit, tum intellectum ad saluificam Christi cognitionem & perceptionem disponendo: tum voluntatem nouis qualitatibus iuduendo, eamque vt cognitioni & perceptioni singulariter & firmiter assentiatur & adhæreat, flectendo [c]. *Externa* & adiuuans est Euangelij prædicatio, per quam hoc ipsum opus fidei in nobis, Spiritus sanctus ordinariè format & confirmat, quamuis pro libertate potentiæ & voluntatis suæ, Deus extra vsum medij huius ordinarij, cum libet & expedit, fidē

c 1.Cor.12.9. 2.Cor.4.6. Gal.5.22.

a Rom.1.7. 16.17. Rom.10.8. Ioh.3.8. gignat & operetur [a].

MATERIA Fidei tribus omnino modis distinctè considerari debet, prout *subiecti*, *obiecti*, aut *partium* rationem habet.

Subiectum proprium & proximum est, intellectus, & voluntas hominis; quatenus vtraque facultas, gratia & virtute supranaturali Spiritus regenita est, & supranaturalia beneficia Fidei oblata in Christo, intellectus quidem cognoscit vt vera, voluntas verò, certa cordis fiducia sibi applicat, vt bona & salutaria [b].

b Luc 24.25. Eph 4.23. Act.16.14. Rom.10.20.

Obiectum respectu intellectus, est veritas diuina, respectu voluntatis, est singularis Dei gratia, promissionibus exposita in Christo Iesu. Vtrumque autem verbo Dei continetur & circumscribitur, quod totum & solum tanquam oblectum suum adæquatum amplexatur fides, & in eo Christum crucifixum cum omnibus suis beneficiis, tanquam obiectum suum principale, primum, proximum & proprium [c].

c 1. Cor.2 2. Heb.10.22. 2.Cor.3 4. Rom. 4.8. & 8.38.

Partes pro ratione, subiecti aut obiecti variè considerari solent. Ratione *intellectus* & voluntatis diuinæ, est, tum *Notitia*, tum *Assensus*. Notitia est quâ totum Dei verbum, secundum principalia illius capita intelligimus, pro modo gratiæ reuelatæ d. Assensus est, quo omnia ex Lege & Euangelio cognita, verissima esse firmissimè apud nos statuimus, & in ijs acquiescimus [e].

d Esai.53.11. Ioh.10.38. 1.Ioh.4.16.

e Rom.7.16. Eph.3.12. Eph.10.22.

Ratione *voluntatis*, præcipua & primaria fidei pars, est *Fiducia*, quæ est firma cordis persuasio, qua

qua singuli vere fideles generalem Gratiæ promissionem, sibi singulariter appropriant, quæ fiducia duplici effectu sese prodit, ὑποστάσει quâ fides sese opponit omnibus periculis internis & externis, & πληροφορίᾳ quâ Deo de nostra salute certò confidimus [a].

FORMA Fidei consistit in Relatione, qua & verbum veritatis, & gratiæ Dei promissiones singulares, modo singulari, electus quisque sibi applicat; ea quæ docentur & promittuntur licet in thesi & generaliter concepta, specialiter tamen & in hypothesi sibi firma persuasione appropriando [b].

FINIS summus & præcipuus, est Dei, fidei authoris & redemtoris, Gloria [c]: Proximus est salus nostra, quam Sacra scriptura fidei finem & præmium appellat [d].

Ex hac definitionis per causas Analysi, duo consequuntur. Primo fidē esse & vnā & diuersam. *Vnam*, tùm *specie*, quia fides est species specialissima; tum *obiecto*, quia res credita vna est [e]. *Diuersam* tum *numero*, tùm *gradu*. *Numero*, quia vnusquisque fidem suam habet distinctam ab alia. *Gradu*, quia habet pro demenso gratiæ diuinæ secundum plus aut minus [f].

Secundò, eatenus firmam esse fidem in omnibus vt nec totaliter nec finaliter vllo vnquam tempore amitti queat, propter scilicet certitudinem & immutabilitatem, electionis & promissionis Dei, satisfactionis & meriti Christi, & obsignationis spiritus. Vnde fides secundum

a Rom. 8. 15. 16. Eph. 1. 13. Heb. 10. 22. Heb. 11. 1

b Iob. 17. 15 Mat. 9. 2 Gal. 2. 20 Ioh. 1. 12

c Rom. 11. 35 Eph. 1. 22

d 1. Pet. 1. 9 Ioh. 3. 15. 16

Ioh. 20. 31

e Ephes. 4. 5 2. Pet. 1. 1.

f Hab. 2. 4 Mat. 9. 22

Rom. 14. 12.

cundum gradum aliquem ſæpe minuitur: perire autem ſecundum formam nunquam poteſt a.

a 1 Ioh. 3. 16 Phil. 1. 6 Ioh. 6. 56. 1. Ioh. 2. 1.

DE FIDE, PARS

Ἀναστατικὴ.

Diſtinctiones.

Pro obiecto Fidei, contra Bell. cap. 8. libri 1. de Iuſtificatione.

I.

QVAE adferuntur teſtimonia ex Euangeliis; aut agunt de fide in Chriſtum expreſsè, Matt 16. Lucæ 7. Ioh. 1. Ioh. 6. Ioh. 11. Ioh. 14 & Ioh. 20. eoq; de ſpeciali Dei miſericordia, quam in Chriſto expoſuit Deus, ſingulariter & efficaciter: aut de miſericordia Dei ſpeciali, quam voluntate & opere exhibuit Chriſtus, in exemplo leproſi, Mar. 1. aut agunt de hypocritica tantum miſericordiæ illius diuinæ ſpecialis gloriatione, vt in exemplo Phariſæi, Lucæ 18. aut denique de medijs externis & miraculis extraordinarijs, fidem adiuuantibus, quæ fidem iuſtificantem non conſtituunt, ſed aut teſtantur communiter: aut confirmant ſingulariter, Marci vltimo.

II.

Quæ adferuntur ex Actis & Epiſtolis: aut ſunt conciones de Chriſto eoque metonymicè de ſpeciali Dei miſericordia, Acto. 2. 4. 10 13. 17. & 8. aut agunt de fide Abrahami non reſpectu

ſpectu promiſſionis temporalis, aut terrenæ, ſed ſpiritualis & æternæ (Diem enim Meſſiæ vidit per fidem, & propterea gauiſus eſt) Rom. 4. aut denique agunt de medio acquiſitæ nobis, & confirmatæ miſericordiæ ſpecialis per reſurrectionẽ Chriſti Rom. 10. & 1. Cor. 15.

Contra Rationes Bell. cap. 10.

I.

VERBVM Dei duobus modis conſiderari ſolet: vel vt verbum promiſſionis, & gratiæ ſpecialiter: Illud reſpicit fides, qua notitia & aſſenſus, hoc vero, qua Fiducia. Licet enim promiſſiones communiter proponantur, in Scripturis: ſpecialis tamen eſt earum applicatio per fidem: prout exempla docent Paralytici, Marci 9. peccatricis mulieris. Luc. 7. Adulteræ. Ioh. 8. Zacchæi, Lucæ 19. & Latronis, Lucæ 23.

II.

Fides Iuſtificationis inſtrumentum eſt, non cauſa, quæ nec tempore, nec loco, à re quam apprehendit, diſcerni aut ſeparari poteſt. Nec fides ſpecialis miſericordiæ, Iuſtificationem ſequitur, quia abſque illa iuſtificatio nulla eſt.

III.

Fides iuſtificans, fiduciæ media ſubornata, qualia ſunt Oratio, Sacramenta, Bona opera, Baptiſmus, non tollit, ſed ponit, iiſque vtitur ad illius augmentum ſeu confirmationem.

IIII.

IIII.

Fiducia Fidei, non pendet à qualitate personæ credentis, aut quantitate fidei illius, sed à Dei promittentis veritate, Christi redimentis voluntate, & Spiritus obsignantis fidelitate.

Pro Forma fidei, contra Bell. lib. 1. de Iustifi. cap. 5.

QVAE citantur testimonia ex 11. ab Heb. Formam fidei non euertunt, sed stabiliunt. *Primò*, definitio fidei Apostolica, & duarum fidei proprietatum, quarum in definitione illa fit mentio, sensus, & interpretatio. *Substantia* enim fides dicitur, non quod sit nuda repræsentatio facta in intellectu, sed quod certa sit & indubitata voluntatis fiducia, prout ex locis parallelis facile colligi potest, Psal. 39. 8. Heb. 3. 14. Deinde *Argumentum* seu ἔλεγχος fides dicitur, quod eam demonstrationis certitudinem præstet, quâ non solum mens, sed & voluntas cõuincitur, vt diuinas promissiones à mente intellectas singulariter sibi applicet. *Secundò* quod de Creationis intellectu per Fidem adseritur; Præterquam enim, quod alia ratio sit Fidei iustificantis, quæ redemtionis beneficium propriè, non autem Creationis opus respicit; notandum etiam, quædam de fide enuntiari, in Scripturis, magis respectu notitiæ sine assensus; quædam verò magis ratione Fiduciæ. Nec intellectus fiduciam excludit, sed antecedit. *Tertiò* exem-

exemplum Noe; Fidei enim illius actus, non tantum diluuium respexit, & veritatem iudicij diuini, sed & conseruationem sui ex diluuio, quam non nisi fiduciâ voluntatis potuit credere & amplecti. *Quartò* quod adfertur de accedentibus ad Deum: quia fides illa de qua agit Apostolus & notitiam respectu essentiæ & naturæ Dei, & fiduciam respectu gratiosæ renumerationis supponit simul.

Contra Bell. cap. 6.

I.

Roman. 4. Resp. Fidei natura & vis non ponitur primariò & præcipuè in cognitione, quæ intellectus est, sed in fiducia, quæ voluntatis. Hinc enim primò promissionis fit mentio, quam voluntas amplexandum respicit propriè: Secundò dicitur Abrahamus confortatus Fide, non hæsitasse diffidentia, & plenissimè persuasum habuisse, Deum, & benignum qui vellet, & potentem qui posset illi benefacere: quæ omnia testantur fiduciam non cognitionem tantum.

II.

1. Corinth. 13. Spes & fides quandoque συνώνυμα sunt & idem significant, quandoque distinguuntur, prout loco citato. Distinguũtur autem quod Fides sit Notitia, Assensus, & Fiducia, Spes vero expectatio quæ fidem sequitur & per fidem gignitur.

III.

III.

2. Cor. 10. Non agit Apostolus de Fide iustificante propriè, verum de effectu illius, seu spirituali illa virtute, quâ nobis ipsis renuntiantes, captiuas reddimus omnes ratiocinationes ad obedientiam Christi.

IIII

Eph. 3. Fiducia, vel vt forma, vel vt effectus fidei diuersimodè considerari solet, vt forma, quatenus certâ cordis persuasione, Christum amplectitur, vt effectus, quatenus ex hac persuasione, gignit in nobis tranquillitatem conscientiæ, & fiduciam libertatis.

V

Obiectum fidei aliud est adæquatum, aliud præcipuum. Adæquatum est totum Dei verbum, respectu notitiæ & assensus. Præcipuum, est, verbum gratiæ respectu fiduciæ.

VI.

Credere, modo latè, modo strictè sumi solet. Latè sumtum significat communiter assensum omnem cum certitudine voluntarium, ad id quod non videtur. Strictè sumtum, Fidem iustificantem significat, quæ præsupponit quidem notitiam, sed formaliter est affectus erga promissionem gratiæ.

DE BONIS OPERIBVS,

PARS Κατασκευαστικὴ.

ATQVE hæc prima & primaria vocationis Christianæ pars est, interna & inuisibilis,

bilis, quam Altera, quæ externa & visibilis est, 1. BONA OPERA excipiunt, quæ fidei veritatem & vitam probant, & testantur externis pietatis & Charitatis exercitijs.

BONORVM AVTEM OPERVM doctrinam duobus modis explicari necesse est, Primò, secundum communem ipsorum naturam & rationem, secundò, secundum præcipuas vitæ Christianæ species, & primaria hominis Christiani exercitia in hac vita.

BONA OPERA secundum communem ipsorum naturam & rationem, quæ quidem Theologicè, non aut philosophicè, aut politicè hoc loco à nobis considerantur, definiuntur,

Actiones, quæ operante Spiritu Sancto à regeneratis per fidem secundum legem Dei fiunt ad Gloriam Dei, fidei & Electionis nostræ confirmationem, & proximi ædificationem.

CAVSA EFFICIENS bonorum operum, vel vt primaria, vel vt secundaria, considerari solet. *Primaria* est Deus pater in filio per Spiritum Sanctum, à quo, in quo & per quem omnis boni principium est, & ἀποτέλεσμα, vt in natura, ita supra naturam[a]. Efficit autem Deus bona opera, tum respectu agentis seu instrumenti, 1. hominis renati, quem præparat, informat, instruit, modo salutari & singulari gratiæ sanctificationis,

[a] Phil.2.13. 1.Cor.4.7 Ioh.3.27. & 15.5. Ephe.2.4.

tionis, vt & velit, & possit, benè operari; tum respectu actionis, quam sanctificat, vt, & genere, & specie, circumstantijsque omnibus bona sit.

Efficiens secundaria, vel est *externa*, vel *interna*, vtraque instrumentalis, causæ superioris illius respectu. Externa est homo renatus, actiones bonas foras immediatè producens, secundum modum & gradum regenerationis suæ. Quia enim spiritus & Caro in homine regenito inter se mixti sunt, fit vt in vno & eodem opere, mixta vtrimque, ex mutuo conflictu, actio nascatur, quæ ex intensiore qualitate, Spiritus aut Carnis, nominari solet, vnde vel optimorum operum infectio & imperfectio [a], Interna, fides est, non ex sui virtute, efficacia, aut efficientia, sed quatenus obiectum illud suum, ad quod fertur, instrumentaliter apprehendit, Christum nimirum, cuius vnius respectu, Spiritus Sanctus, & velle & facere bonum in nobis operatur, & actiones nostræ etiam imperfectissimæ, Deo tamen placent & probantur [b].

a 2. Ioh 1. 8. Rom. 7 23 Eph 2. 3.

b Rom. 14. 23 Heb. 11. 6. Act. 15. 9. Act. 10 35. 2. Tim. 1. 5.

MATERIA bonorum operum est, quicquid lege Dei præscribitur. Habet enim & solus Deus præcipiendi authoritatem, & sola Dei lex præcepti omnis quod quidem æquum bonumque respicit, normam & rationem [c].

c 1 Sam. 15. 22. Eze. 20 19. Mat. 15. 9. Esai. 29 23.

Materiæ huius pro legis diuinæ distinctione in duas tabulas, duæ sunt præcipuæ & primariæ partes,

partes, quarum prior officium hominis in Deum ſeu *pietatem*: poſterior officium hominis in hominem, ſeu *humanitatem* præſcribit & præcipit.

Quæ bona opera *pietatem* ſpectant, abſolutè & neceſſariò bona ſunt, nec aliter ſe habere poſſunt: quorum ratio quatuor primæ tabulæ præceptis circumſcribitur perfectiſſimè. Nam opera Pietatis, aut internam animi diſpoſitionem ſpectant propriè, vt ſcilicet & veritatem cultus diuini (quod primo præcepto) & modum veritatis iſtius, (quod ſecundo explicatur) teneamus: aut ſpectant externam teſtificationem corporis, vt ſc. & ore, quod (tertio) & opere, quod (quarto præcepto) pietatis exercitijs omnibus incumbamus.

Quæ bona opera humanitatem ſpectant, ſex præceptis ſecundæ tabulæ explicantur perfectiſſimè. Nam primò fundamentum illorum omnium ponitur, quinto præcepto, mutua illa obedientiæ & officij relatio, inferiorum erga ſuperiores, & ſuperiorum erga inferiores: deinde præcipuæ humanitatis ſpecies enumerantur, ad quas reliqua omnia analogicè referri neceſſe eſt. Harum ſumma eſt proximo non nocere, neque *Facto*, neque *dicto*, neque *cogitatione*. Non *facto* ſiue reſpectu *perſonæ* ipſius (*non occidendum*) ſiue reſpectu *bonorum* (*Non furandum*) ſiue reſpectu *perſonæ* quę ipſum proximè attingit (*Non mœchandum.*)

Non dicto. Nam nullum falſum teſtimonium contra illum dicendum eſt. Non denique

mente

mente & cogitatione. Nam vetatur ipſa Concupiſcentia.

FORMA bonorum operum eſt, plena & omnibus ſuis partibus perfecta conformitas cum lege Dei, tùm ſecundum externam ſpeciem, tùm ſecundū internam veritatē [a]. Duo enim, ad FORMAE huius conſtitutionem concurrunt, externa operum bonitas quam præcepta legis externè præ ſe ferunt & exigunt, & interna eorundem ſanctitas, quam natura legis, quæ ſpiritualis eſt, & legiſlatoris, qui ſpiritus & καρδιογνώστης ſecundum modum ſuum indicat, neceſſario præſupponit & poſtulat.

a Deu. 27. 16 Gal. 3. 10. Rom. 7. 14.

Atque formæ huius vtriuſque reſpectu bonorum operum ſecundū ſe ratio perfectiſſima eſt, ſecundum nos autem maximè imperfecta, tum propter reliquias peccati, tum propter perpetuam vtriuſque in nobis hominis pugnam & luctam, tum denique propter regenerationis ſtatum, gradus & incrementa. Vnde ſi quæ perfectio operum dicitur, dum hic ſumus, id fit abuſiuè, aut propter meritum Chriſti & acceptionem gratioſam Dei, aut relatè ad eos qui in ſtudio pietatis & operum nondum ita profecerunt: aut denique humanitus ſecundum externam diſciplinam. Meritum ergo bonorum operum nullum eſt, cum nulla ſit æqualitatis proportio inter mercedem & opus, & quæcunque dantur bona opera, aliena ſint, debita ſint, imperfecta ſint [b].

b Rom. 7. 23 2. Cor. 3. 5. Phil. 2. 13. Luc. 17 10.

FINIS bonorum operum triplex eſt, pro di-

diuersitate obiectorum, *Dei, nostri, proximi*. A *parte Dei*, finis summus est gloria ipsius, cui subordinantur, tùm mandatum, tùm beneficia omnia corporalia & spiritualia [a]. A *parte nostri* finis est, confirmatio electionis nostræ, fidei externa testificatio, & officij nostri debita exequutio [b]. A *parte proximi* finis est, tùm vt infideles bono exemplo ad fidem & pietatē prouocentur, tum vt fideles, in pietate & fide confirmentur [c].

a Mat. 5. 16. 1. Cor. 10. 31 Phil. 1. 11.

b Mat. 7. 16. 17. Phil. 1. 11. Iacob. 2. 17 2. Pet. 1. 10. Tit. 3. 8.

c Luc 22. 32. Rom. 14. 19.

Atque hæc est ratio bonorum operum communiter. Particulariter verò in duobus præcipuè & primariò, bonorum operum veritatem dignoſci & explicari neceſſe eſt. ORATIONE & POENITENTIA, quarum illa circa beneficia impetranda, hęc circa maleficia perpetrata verſatur propriè.

ORATIO eſt præcipuus Dei cultus, quo ex fide petimus propter mediatorem, bona neceſſaria à Deo, tanquam bonorum omnium fonte [d].

d Ioh. 4. 24. Luc. 18. 1.

Petimus autē vel pro alijs, & Interceſſio eſt, vel contra alios, & Expoſtulatio eſt; vel pro nobis, & aut deprecatio eſt, ſi liberationem petimus ex periculis, aut Poſtulatio, ſi noui beneficij communicationem [e].

Heb. 10. 22.

e Pſal. 9. 30.

Petitionis ſeu Orationis formulam habemus in Oratione Dominica, cuius tres ſunt partes, *Exordium, Narratio, & Epilogus* [f].

f Mat. 6. 9. 10

Exordium locos continet; & voluntatis, *Pater noſter*, & facultatis, *qui es in Cœlis*.

Narratio conſtat 7. petitionibus, quarum priores

priores quatuor postulant gratias positiuas: tres sequentes gratias, vt loquuntur, priuatiuas. *Gratia positiuæ*, vel animam respiciunt, vel *corpus*: Quæ animam, aut gloriæ Dei promotionem expetunt; tum vniuersaliter inter omnes (*sanctificetur nomen tuum*) tum singulariter in Ecclesia (*Adueniat regnum tuum*) aut modum vtriusque exponunt (*fiat voluntas tua*. Quæ *corpus* spectant, vnicâ panis quotidiani petitione, synecdochicè includuntur. *Gratiæ priuatiuæ* tres sunt; Remissio peccatorum, Defensio contra tentationes Diaboli, Liberatio à malis priuatis & publicis.

Epilogus continet causas impulsiuas & finales. Impulsiuæ duæ sunt Regnum & potentia. Finalis vnica, Gloria Dei.

POENITENTIA est seria, & salutaris mentis & voluntatis nostræ pranæ mutatio, effecta à Spiritu sancto, per legis & Euangelij prædicationem [a].

a Eze.18 31 Ier 4.1.3. Eph.4 23. 2.Cor.7.10.

Huius partes integrales duæ sunt, secundum duos terminos, *à quo* fit & *in quem* tendit hæc mutatio: *Mortificatio veteris hominis* siue carnis, & *viuificatio noui hominis* siue spiritus, his enim perficitur vera Pœnitentia.

Mortificatio, quæ prior Pœnitentiæ pars est tres habet propietates seu gradus. Agnitionem peccati. Dolorem propter peccatum & Deum offensum. Denique detestationem ac fugam peccati. Agnitio est in mẽte, Dolor in passione, Fuga in actione voluntatis. *Viuificatio* quæ posterior est, tria complectitur Mortificationi con-

contraria. Agnitionem & fiduciam misericordiæ Dei in Christo. Lætitiam inde ortam, denique ardens studium Sanctimoniæ, Iustitiæ, & nouæ per totam vitam Obedientiæ [a].

a Rom. 6. 4. 5 Eph. 4. 22. Col. 3. 5. 6. Psal. 34. 15. Esa. 1. 16, 17

DE BONIS OPERIBVS, PARS Ἀνασκευαστικὴ.

Distinctiones.

Bona opera non esse simpliciter & absolutè necessaria ad salutem, contra Bellar. lib. 4. Iustif. cap. 7.

I.

PROMISSIO vitæ conditionata dicitur, non quod adimpletio conditionis propositæ sit causa vitæ, sed instrumentum & medium vitam assequendi. Nec aliud probant quæ citantur loca, quæ aut qualitatem notant eorum qui saluandi sunt, non autem salutis causam: Hebræ. 10. 1. Timot. 2. Rom 10. aut viam iustitiæ innuunt per quam ad salutem contenditur. Philip. 2. & 2. Cor. 4. aut denique de effectis agunt, ex quibus tanquam à posteriori, iudicium fieri & potest, & debet de verè iustificatis & glorificandis, Matt. 25. Iacob. 1. 2. Cor. 7.

II.

Nec ratio ab absurdo allata & explicata capite 9. contrarium euincit. Fides enim sola nos saluare dicitur æquiuocè, aut respectu fidei quod sola fit, aut salutis, quod sola saluet. Fides

sola

ſola non eſt abſque operibus, verum ſola ſaluat & iuſtificat, abſque operibus, prout oculus ſolum videt, non tamen ſolus, ſed coniunctus corpori.

Legem Dei non eſſe nobis poſſibilem, contra Bellar. lib. 4. Cap. 11.

I.

QVAE adferuntur teſtimonia Scripturarum, *primò* Matth. 11. & 1. Ioh. 5. non agunt de natura legis, cum renatorum, aut non regeneratorum viribus ad eam implendam cõparatâ: ſed aut de onere crucis, quam interna Spiritus Chriſti virtus & efficacia, & æternæ immortalitatis ſpes ſubleuat, aut de mandato Dei in genere, tam reſpectu fidei, quam bonorum operum, quæ grauia non ſunt eouſque, vt ijs fideles opprimantur. Nam & ſpiritus victor euadit, & quicunque credit, à legis execratione liberatus eſt. *Secundò* Io. 14. Rom. 13. Gal. 5. Ioh. 15. non agunt de noſtra ad legem implendam potentia, verum, aut de officio noſtro, aut de effectu amoris noſtri erga Deum, aut denique de dilectione proximi, tanquam maximè conſpicuo totius obedientiæ legis teſtimonio. *Tertiò* Pſalmo 118. 1 Reg. 14. Act. 18. 1. Reg. 15. 2. Reg. 23. 2. Paral. 15. & 11. non agitur de perfectione quadam Iuſtitiæ eorum, qui iuſti nominantur abſolutè, verum aut comparatè & relatè ad alios, aut inchoatè quoad ipſos, aut imputatiuè reſpectu acceptationis Dei, aut denique

nique ſecundum quid, reſpectu ſinceritatis ipſorum, oppoſitæ hypocriſi.

II.

Quæ adferuntur rationes, cap. 13 quæſtionem non probant. Non *prima*, nititur enim falſo præſuppoſito & petitione principij. Non *ſecunda*, quia ludit falſo conſequente, manet enim obligatio noſtra etiamſi ponatur impotentia; prout manere ſolet debitum, etiamſi debitor non ſit ſoluendo. Non *tertia*, quia habet Deus ſuas rationes, primùm non fruſtra exigit debitum, & nos debiti admonemur: ſecundò non fruſtra excitantur principia naturæ ad conuincendum impios, & ad ſaluandum pios. Non *quarta*, quia agit Ap. Rom. 8. de iure legis, non de iuſtificatione, nec ius illud dicitur à nobis, ſed in nobis impleri. Non *quinta*, quia operationes Spiritus producuntur in nobis pro ratione inſtrumenti, & modulo infirmitatis noſtræ. Non *ſexta*, quia, quâ iuſtificati ex Deo nati ſunt, legem faciunt, quâ vero regeniti ſunt impefectè, faciunt & implent imperfectè.

DE STATV HOMINIS POST HANC VITAM,

PARS Κατακλυσιν.

ATQVE hic ſtatus eſt hominis in hac vita, tũ ſecundum naturæ primogeniæ, vel corruptæ conditionem, tùm ſecundum gratiam Dei ſeu vocationis Chriſtianæ veritatem. Hunc alter

alter hominis ſtatus, qui POST HANC VITAM erit, ſubſequitur. Duobus autem modis à nobis conſiderari & explicari debet, vel *communiter* reſpectu, tùm piorum, tùm impiorum, vel *ſingulariter* reſpectu horum vel illorum.

Communiter ſtatus hominis poſt hanc vitam duobus gradibus cognoſcitur: RESVRRECTIONE CARNIS & IVDICIO EXTREMO.

RESVRRECTIO carnis eſt iterata & indiuidua animæ cum corpore copulatio, facta potente Dei virtute, vt morte victâ, homines immortales facti, perpetuò viuant, ſiue in gloria ſiue in pœnis.

CAVSA EFFICIENS reſurrectionis; *principalis* quidem eſt tota diuinitas. Pater enim ſuſcitat mortuos, Filius quos vult viuificat, & Spiritus ſanctus vitæ complementum tam corpori quam animæ cum Patre & filio impertit [a]. *Inſtrumentalis* verò ſeu miniſterialis ſunt Angeli quorum efficaciam Scriptura ſignificat per metaphoram *tubæ clangentis*.

a 1. Cor. 15. 22. 1. Theſ. 4. 14. 1. Cor. 15. 35

MATERIA eſt corpus humanum, idem numero ſecundum ſubſtantiam, quod in hac vita geſtamus, ſiue mortuorum fuerit, ſiue eorum qui extremo illo die viui reperientur [b].

b Dan. 12. 2. Ioh. 5 26. 29 1. Theſ. 4. 16. 17.

FORMA pro ratione materiæ, aut erit reſtitutio mortuorum in vitam, aut illa analoga & conformis transformatio, eorum qui viui reperientur. Hanc formam comitatur mutatio qualitatum corporis, communis quidem incorruptio & immortalitas, ſingularis vero reſpectu fidelium, præter iſta, corporum gloria

poten-

potentia & ſpiritualis [a].

FINIS *principalis* eſt gloria iuſtitiæ & gratiæ Dei, *ſubordinatus* pro ratione reſurgentium vel ſalus & gloria electorum, vel pœna & abiectio reproborum [b].

VLTIMVM ſeu extremum IVDICIVM, eſt Actus iudicialis, quo Chriſtus in nouiſsimo die, cum magna maieſtate & gloria, feret ſententiã de vniuerſis hominibus.

CAVSA EFFICIENS *principalis* quidem quoad iudiciariam poteſtatem & authoritatem Deus eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quoad vero rationem Iudicij ſeu exercitij, Chriſtus eſt non tantum quatenus Deus, ſed etiam quatenus homo; tum propter conditionem gloriæ quæ conſequitur perſonalem vnionem diuinæ & humanæ naturæ, tum propter conuenientiam & affinitatem ipſius ad homines [c]. *Adminiſtra* vero erunt Angeli quorum opera vtetur Deus, tum in congregatione, tum in ſeparatione ſeu diſtinctione iudicandorum [d].

MATERIA, quę quidem *ſubiecti* rationem habet, ſunt *Fides* aut *infidelitas* vniuſcuiuſque, indicata ex vtriuſque effectis; quæ vero *obiecti*, ſunt tum vniuerſaliter omnes creaturæ, etiam irrationales, quæ à ſeruitute corruptionis liberabuntur; tum communiter omnes & Angeli, & homines, tum ſingulariter ipſe homo peccati & filius perditionis Antichriſtus [e].

FORMA eſt totus ille auguſtiſsimi iudicij ordo & progreſſus, ipſo tum Iudicis, tum iudicandorum apparatu, ſententia iudicij, & exe-

a 1. Cor. 15. 52. 53. 1. Theſ. 4. 17. Mat. 25. 34.
b Dan. 12. 2. Ioh. 5. 29.
c Mat. 24. 30 Luc. 21. 27. 2. Tim. 4. 8.
d Mat. 24. 31
1. Theſ. 4. 16.
e Mat. 25. 32 1. Theſ. 4. 17. Apoc. 20. 12.

quutione ſententiæ circumſcriptus [a].

a Mat.25.32. 1.Theſſ.4.16 17.

FINIS *ſummus* eſt gloria ipſius Dei, & officij Chriſti complementum; *ſubordinatus* iuſta impiorum condemnatio, & fidelium gloriola fœlicitas, quam vtramque, ſiue gaudij, ſiue doloris immenſitas & æternitas conſequitur [b].

b 2.Tim.4.8.

Singulariter ſtatus hominis poſt hanc vitam, à tempore vniuerſalis illius reſurrectionis, & extremi iudicij, aut eſt vitæ æternæ, aut mortis.

VITA ÆTERNA, eſt vita gloriæ, qua anima corpori ſuo adiuncta, Deo fruitur in æternum, euecta ad ſummum fœlicitatis ſuæ culmen & faſtigium.

CAVSA vitæ huius Deus eſt, Pater efficiens, Filius meritoria, Spiritus ſanctus obſignans & applicans [c].

c Ioh.14.23. Apoc.21.3.

MATERIA, quæ *ſubiecti* rationem habet, ſunt ea bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec mens hominis comprehendere potest [d]. Quæ *obiecti*, ſunt beneditti omnes & electi [e].

1.Cor.15.45 Rom.8.11.

d 1. Cor.15. 28.

e Apoc.21.3. Mat.25.24.

FORMA eſt ipſius Dei cognitio, viſio & fruitio perfectiſsima & quæ hanc conſtituit, ſumma hominis fœlicitas & beatitudo, quæ tum in malorum omnium ſecretione & abſentia, tum in bonorum omnium communicatione, & præſentia conſiſtit. Vtraque & perfecta & æterna [f].

f Apoc. 22.4. Pſal.17.15. 1.Ioh.3.2. Pſal 16.11.

FINIS eſt gloria gratiæ diuinæ, & electorum glorificatio [g].

g Apoc 21.3 5.12.11.17. 1.Cor.15.28.

MORS ÆTERNA, eſt ineffabilis & miſerima reproborũ conditio, diuinitus deſtinata, quũ tum anima, tum corpus æternis pœnis iuſtiſ-

ſimis

simè addicuntur.

CAVSA EFFICIENS *remota* est Deus, iustissimus Iudex, *instrumentalis* est Satan, *proxima* est peccatum [a].

MATERIA, quæ *subiecti* rationem habet, sunt pœnæ æternæ, quæ *obiecti*, sunt maledicti & operarii iniquitatis [b]

FORMA est perpetuitas, & immensitas pœnarum in inferno [c].

FINIS *summus* est gloria iustitiæ diuinæ, *proximus* est iusta impiorum condemnatio, & pœna.

a Mat. 25. 41.

b Ioh. 5. 29. 2. Thess. 1. 9.

c Apo. 20. 15 21. 8. Esai. 66. 24 Mat. 14. 42.

DE STATV HOMINIS POST HANC VITAM,

PARS ΑΝΑΣΤΑΣΙΚΗ.

Pro Resurrectione.

I.

RESVRRECTIO in sacra Scriptura dupliciter sumitur, *figuratè* vel *propriè*. *Figuratè*, aut per *metonymiam*, immortalem vitam significat, aut per *metaphoram*, siue à periculis liberationem, siue animarum regenerationem, quæ resurrectio spiritualis est & prima dicitur. *Propriè* resurrectio significat corporum viuificationem quæ extremo die fiet, quæ secunda est.

II.

Resurrectio, alia *vniuersalis* est & singulis, quam nemo effugiet, alia *particularis* seu antecedens, cuius singularia exempla extant in Scripturis.

Pro extremo Iudicio.

I.

IVDICIVM in Scripturis tria significat, aut damnationis causam aut vniuersalem gubernationem, aut actum ipsum, vel condemnationis, vel iustificationis.

II.

Duplex est Domini iudicium, *particulare* seu antecedens, cum Deus in hac vita, vel suos defendit, vel impios reprimit. *Vniuersale* extremum, quod fiet in extremo die resurrectionis.

III.

Filius Iudex mundi dicitur, non excluſiuè aut oppositè, sed per appropriationem, quia per filium in forma visibili iudicium extremum exercebitur.

IIII.

Filius diem iudicij ignorare dicitur, vel quod nos ignorare faciat, vel quoad naturam humanam, quæ ordinaria & naturali cognitione, de hac re nihil nouit, vel quoad statum humilitatis quem secundum dispensationem voluntariam in se suscepit.

Pro vita æterna.

I.

Tria sunt vitæ genera seu discrimina. Est vita *naturæ*, quam animalē vocat Apostolus. Est vita *gratiæ*, qua soli filii Dei fruuntur in hoc mundo; est vita *gloriæ*, quæ consistit in visione Dei.

II.

II.

Vita æterna dupliciter accipitur. Metonymicè, tum pro via ad vitam, tum pro Christo ipso. Proprie pro ſtatu beatorum poſt hanc vitam.

III.

Viſio Dei, alia eſt *naturalis* in rebus creatis, alia *ſpecularis* ſeu ſymbolica per imagines & ſigna, alia *Fidei* ex doctrina & factis Chriſti, alia denique *aſpectus præſentis*, ſeu futuræ gloriæ, cum Deum videbimus facie ad faciem.

Pro morte æterna.

Mors quadruplex eſt. Primò *corporalis*, quæ & temporaria, & mors prima reſpectu impiorum in Scripturis dici conſueuit: ſecundò *ſpiritualis*, eaque vel fidelium vel infidelium. Fideliũ triplex eſt, Peccati quæ mortificatio dicitur. Legis quatenus eſt Peccati virtus. Mundi, quâ mundus iis mortuus eſt. Infidelium mors ſpiritualis eſt, quę Fidei aut animæ mors dici poteſt. Tertiò, *Æterna*, quæ ſecunda dicitur: quartò, *mors ciuilis*, quæ iuriſconſultis dicitur, eorum qui capite diminuti ſunt.

FINIS.

ENCHIRIDION CONTROVERSIARVM INTER EVANGELICOS ET PONTIFICIOS:

SEV

Index errorum Ecclesiæ Romanæ, vnà cum Antidoto.

Ex 4. Tomis Disputationum ROB. BELLARMINI, *in gratiam Studiosæ iuuentutis excerptus,*

PER

CONRADVM VORSTIVM S. Theol. D. & Professorem in illustri Schola Steinfurtensi.

Editio altera; priore castigatior, & alicubi auctior.

LONDINI,
Ex officina NORTONIANA, apud IOANNEM BILLIVM.
1608.

GEORGII CASSANDRI

(hominis alioqui Pontificij) Confessio, in consultatione de Religione ad Ferdinand. 1. & Maximilianum 2. Imperatores, in cap. de Ecclesia.

NOn negarim, præcipuam causam huius calamitat & distractionis Ecclesiæ illis assignandam, q inani quodam fastu Ecclesiasticæ potestatis infla recte & modestè admonentes superbè & fastidios contemserunt ac repulerunt. Quare nullam firma pacem sperandam puto, nisi ab ijs initium fiat, qui d stractionis causam dederunt, h. e. nisi ij qui Eccles stica gubernationi præsunt, de nimio illo rigore a quid remittant,& Ecclesiæ paci aliquid concedant, multorum piorum votis & monitis obsequentes, man festos abusus ad regulam diuinarum literarum & vet ris Ecclesiæ, à qua deflexerunt, corrigant, &c.

AD STVDIOSAM IVVENTVTEM PRÆFATIO.

ENchiridion hoc potissimum vobis, ornatissimi iuuenes, qui de controuersijs istis in illustri hoc Gymnasio publicas subinde συζητήσεις instituere soletis, conscripsimus: & triplici quidē fine: tum, vt superfluum in thesibus hisce describēdis laborē deinceps vobis adimeremus: tum, vt breuem quendam synopsin totius Bellarminiani operis (quod non omnes sibi comparare, aut etiamsi habeāt, satis vtiliter legere possunt) sub aspectum vestrum semel subijceremus: tum denique, vt eādem operā, præsertim tyronibus & minus in hoc campo exercitatis, loca quædā apud Euangelicos, & eos quidem melioris notæ auctores indicaremus: vnde, velut è promptuarijs, antidotū præsentaneū aduersus errores Ecclesiæ Romanæ petere, & simul argumenta ad disputandum, hoc est, ad veritatem asserendū idonea quoties vsus postulauerit, depromere possetis.

Quòd si & alij hunc Indicem legere dignabuntur, non sine fructu id facturos speramus. Nam quiparum in his theologicis quæstionibus versati sunt (quorum numerus semper fuit longè maximus) saltem id boni hinc consequentur, vt verum & germanum omnium penè controuersiarum, quibus Ecclesia Christi iamdudum agitatur, statum seu cardinem plenius intelligant. Vnde porrò, si cognoscenda ve-

ritatis cupidi fuerint, ad diligenter in omnia inquirendum, & fundamenta vtriusque partis ad certissimam verbi diuini & rectæ rationis normam seu regulam examinandum, incitabuntur: & quo dista ratione pie quæsiuerint, Deo fauente tandem inuenient. Nos certè in opusculo hoc concinnando, præter superiores illos, hunc etiam finem spectauimus: ea in excerpendis aduersariorum erroribus, & antidoto apud nostros commonstrando, bona fide versati sumus, nihil verbis extenuantes, vel aggrauantes: sed illic quidem ipsas auctoris phrases, quoad commodè fieri potuit, itaretinuimus, vt siquibi pro ixtores vel obscuriores viderentur, sensum earum quàm breuissimè simul & clarissimè exprimere studuerimus: hic verò non tam nostrum, quàm aliorum magis nominis virorum iudicium paucis indicauimus.

Porrò Methodum *Bellarmini meritò hic secuti sumus: quæ, si hypotheses ipsius spectemus, satis etiam commoda est. Omnes enim controuersias ad duos Symboli Apostolici articulos, nonum scilicet & decimum, ipse reuocat; in quibus de* Ecclesia Catholica, Sanctorum Communione, & Remissione peccatorum *agitur. Itaque post explicatum generale proœmium de verbo Dei scripto & non scripto, statim de Christo, tanquam principali, deque Romano Pontifice, tanquam vicario Ecclesiæ capite, tomo 1. disputat.* Deinde *de ipsa Ecclesia, tum in his terris militante, eiusq; membris triplicibus (puta* Clericis, Monachis, Laicis) *tum laborante in purgatorio, tandem verò triumphante in cœlis, tomo secundo tractat.* Postea *de Sacramentis tum in genere, tum in specie, tomo tertio*

disserit,

disserit, tanquam de iis rebus, quibus Sanctorum communio contineatur. Denique tomo quarto de gratia Dei generi humano iam olim collata, eiusque per peccatum amissione, & reparatione per Christum facta, hoc est, de iustificatione & remissione peccatorum, satis ordinate docet. Neque enim sua laude aduersarius hic fraudandus est, quam & alii ex nostris liberaliter ei tribuerunt.

Caeterùm non omnes aduersae partis errores ex Bellarmino hus congessimus; sed eos tantùm, qui circa dogmata seu capita religionis propriè versatur. Infinitum enim foret, omnes Scripturarum corruptelas, & alia talia istorum errata, vel obiter indicare. Ex iis autem quae nunc excerpsimus, quaequae sine dubio praecipua sunt, omnes ii, qui oculos ad diuinam veritatem cernendam aptos habent, quanta sit Ecclesiae Romanae, quantóque studio nobis fugienda, tum in doctrina, tum in ritibus sacris impuritas, haud difficulter intelligent. Erat quidem animus initio, praecipuas vtriusque partis probationes, quàm paucissimis verbis comprehensas adiicere: sed cum animaduerterem, isto pacto Enchiridion hoc in magnum tandem volumen exiturum, abstinui, & satis habui, nudum Indicem ita consignare, vt collatio ab aliis facile institui posset. Itaque contentus fui, in singulis capp. quid extra controuersiam apud Euangelicos esset, primùm obiter praemonere: deinde Pontificios errores ordine recensere: denique scripta aliquot nostrorum hominum, in quibus illi latis superque refutantur, indicare.

Neque

Neque verò in his Auctoribus citandis, superstitiosi fuimus, h. e. nimis accuratam vel multitudinis & copiæ, vel temporis atque ordinis ipsorũ rationẽ habuimus: sed qui primi fortè incidebãt, aut familiariùs noti nobis erant, eos nominauimus. Illud tamẽ obseruandum non sine causa putauimus, vt publicas Ecclesiarum Confessiones tanquã symbola quædam vulgò recepta, scriptis aliorum priuatis anteferremus. Itaq; semper Harmoniam Confessionum *initio posuimus: quippe in qua non tantùm Augustana, sed & Heluetica, Gallica, Belgica, Anglica, Bohemica, & plures aliæ Confessiones ita cõiunctæ, atq; inter se collatæ extant, vt vel ex ea sola pontificij errores abundè refutari possint. Huic plerumq; Confessionẽ Zanchy subiecimus, vt quæ & ipsa publico Ecclesiarũ reformatarum nomine ab auctore primùm conscripta fuerat. Tum verò alios, ita vt dictum est, sine ordine certo adducimus: longè plures interim (quod probè scimus) omittentes: vel quòd eorum copia, dum hæc scriberemus, ad manum non esset: vel quòd eos studiosæ iuuentuti non ita familiares, vti alios, esse sciremus. Denique in hac etiam parte modus Enchiridij seruandus erat.*

Vos igitur, optimi iuuenes, qui in spẽ Christianæ reipub. nati, & hactenus in bonis literis educati estis, hoc qualicũq; labore nostro, vobis potissimùm dicato sic vti frui velitis, vt aliquãdo, cùm ad Ecclesiam Christi pascendã vocati fueritis, tũ in omnibus Christianæ doctrinæ partibus, tũ nominatim (quia nostra hæc tẽpora sic postulare videtur) in hisce materijs probè versatos vos esse reipsa appareat. Valete. Scriptum ex Museo nostro X. Februarii, Anno. 1604.

Ex

Ex Tomo primo Bellarmini.

PARS PRIMA SEV CONTROVERSIA 1. GENERALIS.

De verbo Dei scripto & non scripto, siue de S. Scriptura, deque Traditionibus: quæ prima generalis controuersia huius 1. Tomi, 4. libris explicatur.

EXtra controuersiam apud Euangelicos est, quicquid in his libris pro diuina auctoritate S. Scripturæ, seu librorum verè Canonicorum: item pro fontium, quos vocant, qualicunque puritate, aduersus Libertinos, alioſque hæreticos, immò nonnullos Pontificios à Bellarmino disseritur. Sed pauca huius generis ab illo hîc traduntur, præ ijs, quæ tam multa aduersus indubitatum Scripturæ Canonem, authenticam editionem, versiones vernaculas, promiscuam lectionem, item perspicuitatem, salutarem vsum & necessitatem, legitimam interpretationem, denique sufficientiam & perfectionem, &c. admodum animosè disputat. Sequentia igitur dogmata erroris meritò condemnamus.

Errores Pontificiorum de de hoc capite.

1. *S. Scriptura V. & N. T. tum demum est verbum Dei & regula fidei, si iuxta sensum Ec-*

clesiæ

cleſiæ (puta Romanæ) intelligatur. lib. 1. c. 1. & ſeqq.

2 *Libri verè Canonici in V. T. ſunt: Tobias, Iudith, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſticus, duo priores Maccabæorum, & additiones quædam ad Eſthcram & Danielem: licet in Hebræo canone nunquam fuerint.* Ibid. c. 2. & d. vſque ad 16.

3 *Fontes Hebræi & Græci, etſi nunquam perierunt, nec planè deprauati ſunt, (quod alii Pontificii magna ex parte aſſerunt) non tamen adeò puri atque incorrupti ſunt, vt aliæ editiones ad illos exigi debeant.* 2. c. 2. & d.

4 *Vulgata Latina verſio in omnibus publicis lectionibus & diſputationibus pro authentica habenda eſt: ita vt nemini liceat ab ea, quamuis iuſtiſſimæ cauſæ prætextu, prouocare.* Ibidem cap. 10. & d.

5 *Vernaculæ Scripturarum verſiones nec neceſſariæ, nec admodum vtiles, ſed potiùs ſæpe noxiæ ſunt: & proinde earum lectio nemini permittenda, niſi qui facultatem ab Epiſcopo impetrauerit.* c. 15.

6 *Eædem verſiones in Eccleſia publicè vſurpandæ non ſunt, cùm de precibus, cantionibus, aliiſque id genus ſacris officiis agitur: quippe quæ tribus tantum præcipuis linguis peragi debeant.* c. 16.

7 *S. Scriptura non ita perſpicua & intellectu facilis eſt, vt per ſe abſque Eccleſiæ auctoritate & explicatione, ad decidendas fidei controuerſias ſufficiat: ſed adeò potiùs obſcura eſt, etiam in rebus fidei neceſſariis, vt ſine docto & magiſterio prædictæ*

dictæ Ecclesiæ, etiam à fidelibus intelligi non possit, lib. 3. c. 1. & 2.

8 *Non vnus tantum, sed quadruplex est genuinus Scripturæ sensus, nempe literalis, allegoricus, anagogicus, & tropologicus: tametsi ex solo literali firmæ probationes peti possunt.* c. 3.

9 *Supremus & infallibilis Scripturæ interpres seu controuersiarum iudex, non est ipsa scriptura aut Sp. S. in ea loquens: sed vel Ecclesia, vel Concilium, vel denique Pontifex Rom. ex cathedra docens.* c. 4. & 6.

10 *Nec principibus sæcularibus, nec priuatis fidelibus: sed solis Ecclesiasticis præsulibus, de fidei controuersiis, iuxta verbum Dei iudicare licet.* c. 9 & 10.

11 *Fides nostra tum quoque nititur verbo Dei, non hominum, cum nititur testimonio Ecclesiæ, vel Concilii, vel Pontificis, sensum Scripturæ nobis explicantis: quippe de quibus ex Scripturis aperte constat, errare eos in fide non posse.* Ibid. c. 10.

12 *Non omnia dogmata, ad fidem & vitam Christianam necessaria, in Scripturis continentur: sed multa etiam huius generis ex Traditionibus non scriptis vel Christi, vel Apostolorum, vel Ecclesiæ petenda sunt.* Ibid. lib 4 c. 2. & 3. & 6.

13 *Scriptura sine traditionibus non admodum necessaria est. Traditiones autem simpliciter necessariæ sunt.* Ibid. c. 4.

14 *Apostoli & Prophetæ non diuino aliquo iussu, sed fortuitis occasionibus ad hæc vel illa scribendum*

bendum adducti sunt. Ibid. c. 4. & d.

15 *Proprius & præcipuus Scripturæ finis est, non vt sit regula fidei, sed tantum vt sit commonitorium quoddam, vtile ad conseruandam doctrinam ex prædicatione acceptam.* Ibid. c. 12.

ANTIDOTVM.

Contra hos errores, quibus ipsa Religionis fundamenta labefactantur, plurima sunt ab Euangelicis conscripta. Vide inprimis Harmoniam Confess. sect. 1. & 17. & Confess. Zanchii ca. 1. Item huius tractatum de S. Scriptura. Caluinum lib. 1. Inst. c. 6. & d. & in Antidoto Concilij Trident. Petrum Martyr. & VVolfg. Muscul. in locis commun. tit. de sacra Scriptura, deque Traditionibus, Brentium in Prolegomenis, &c. Chemnitium parte 1. Examinis Concilii Trident. Rainoldum de S. Scriptura Sadeelem de verbo Dei, & contra Monachos Burdegalens. Kimedoncium de S. Scriptura, &c. Item, quæ Daneus, Iunius, Sibrandus, & alii ad hos Bellarm. libros annotarunt. Vide & Vrsinum in tract. Theol. ab initio: Bullingerum in Decadibus part. 1. &c. Potissimum verò Disputationes VVithakeri de hoc argumento aduersus Bellarminum & Stapletonum, item Campianum, &c. solidè & prolixè conscriptas: quæ vel solæ cordatis hominibus sufficient.

II PARS.

De persona & officio Christi: quæ est altera huius Tomi controuersia, 5. libris comprehensa.

QVęcunque ferè tribus prioribus libris hîc disseruntur, de vera Christi Diuinitat. & personali distinctione à patre & Spiritu S. itemque de vera eiusdẽ humanitate, & hypostatica duarum naturarum vnione, aduersus veteres & nouos Arianos, Marcionitas, Nestorianos, Eutychianos, Vbiquitarios, Mennonitas, &c. de ijs, quantum ad rei summam attinet, Euangelici communiter assentiuntur: sicut ex auctoribus infrà citandis apparet. Interim non omnes Bellar. rationes apodicticas esse, meritò ab alijs annotatũ est: præsertim quas ex Sybillis, & visionibus, & mundanis euentibus afferre solet. Nõ immerito etiam quædam eius axiomata in dubium vocari hîc possent, cuiusmodi inter alia sunt: filium Dei semper à Patre gigni: dependentiam in diuinis non esse: duplicem hîc esse subsistentiam, absolutam & relatam, &c. Idem iudicandum est de erroribus Agnoëtarum, Stãcari, &c. de quibus lib. 4. & 5. inter alia disputat. Sequentia verò dogmata nostri homines, vt erronea & absurda, rejicere solent.

Errores pontif. de h. loc.

1 *Christus, licet iuxta naturam diuinam Deo Patri sit aequalis, siue eandem numero essentiam cum*

cum Patre habeat ab æterno, non rectè tamen ἀυτόθεος appellari potest ratione essentiæ. Confer. lib. 1. toto, & lib 2 c 19.

2 *Idem Christus secundum humanam naturam, non quidem prorsus omnipræsens est, vi vnionis hypostaticæ, & sessionis ad dextram Dei: multis tamen adeoq; ferè infinitis simul locis adesse & potest & solet, saluâ interim manente humanæ naturæ veritate,* lib. 3. c. 11. & d. *Confer.* tom. 3. controuer. 3. lib. 3.

3 *Anima Christi, ab ipso conceptionis initio prorsus omniscia fuit: nec quidquam olim in statu humiliationis vnquam ignorauit, aut verè aliquid didicit, quod non antè perfectè sciuisset.* lib. 4. c. 1. & d.

4 *Eadem Christi anima iam inde ab initio perfectè beata, & omnibus alijs Spiritus S. donis ita repleta fuit, vt nulla vnquam vera perturbatio aut tristitia locum in ea habuerit.* lb c. 2. & d. c. 5. ad obi. 5. &. c. 8. ad ob. 3.

5 *Descensus Christi ad inferos, nec propriè pro morte aut sepultura eius corporali; nec metaphoricè pro extremis animi ipsius dolorib & Angustijs, nec metonymicè pro effectu mortis ac passionis Christi, iuxta Scripturæ phrasin accipi potest,* c. 6 & d.

6 *Inferni vocabulum semper in scripturis significat locum subterraneum, à sepulchris omnino diuersum: & Gehennæ, seu Loco damnatorum penè contiguum; in quem & anima Christi verè & proprie loquendo descendit.* c. 10. & d.

7 *Animæ piorum, ante Christi resurrectionem, omnes in Limbo seu Vestibulo infernali*

detentæ

detentæ fuerunt: vnde eas demum anima Christi, postquam triduum cum ijs commorata est, liberauit. c. 11. & d.

8 Credendum est, animam Christi triduo illo, quo apud inferos versata est, etiam locum damnatorum, & limbum puerorum peragrasse; sed neminem inde liberasse. c. 16. De purgatorio autem dubitatur.

9 Christus secundum vtramque naturam quidem, vt principium agens; sed secundum humanam tantùm, vt principium formale, mediator est inter Deum & homines. lib. 5. c. 1. & d.

10 Nec apud Patrem tantùm, propriè loquendo, sed apud totam Trinitatem, h.e. apud seipsum quoq; mediatoris officio fungitur, placando scilicet & exorando seipsum, &c. c. 3. & d.

11 Neque nobis tantùm remissionem peccatorum & salutem æternam, sed & sibiipsi gloriam & exaltationem, propriè loquendo obedientia sua promeruit. c. 9. & 10.

ANTIDOTVM.

Refutationem horum errorum vide in Harm. Confess. sect. 2. & 6. in Confess. Zinch. a. 2. 11. & 12. & in tract. de incar. filij Dei. Item vide Caluinum lib. 2. Institu. cap. 12 & seqq. Bezam in Conf. c. 3 & 7. item in quæst. & resp. part. 1. Bullingerum in Decad. bus: Melanchthonem, Martyrem, Musculum, &c. in locis communibus tit. de Deo, deque persona & officio Christi: Aretium in locis probl. 1. & d. vsque ad 11. Vrsinum in explicat. Catechet. & in tract. at. theologicis: Sadeelem

deelem de veritate humanæ naturæ in Christo, & contra Confess. Burdegalens. Sobnium tomo 2. ad tit. suprà dictum, & passim alios. Porrò contra dogma Vbiquitatis multa etiam locis citatis, præsertim apud Zanchium & Sobnium, inuenies plura, si lubet, in scriptis elenchticis Bezæ, Danæi, Vrsini, & aliorum inuenaturus.

Illud obiter notetur, postremum errorem, si logomachia absit, & commoda explicatio adhibeatur facilè sanari posse, vt error esse desinat. Qua de re vide proœmium confess. Zanch. & notas Fr. Iuny ad hunc Bellarm. locum. Summa est: Christum quasi sui ipsius oblitum, nobis se totum impendisse; & tamen hoc ipsum agendo, obedientiæ suæ præmium amplissimum à Deo obtinuisse; atque hoc generali sensu etiam sibi ipsi non parum promeruisse, h. e. acquisiuisse.

III. PARS.

De Pontifice Romano, deq; Antichristo: quæ tertia est huius Tomi controuersia generalis, 5. item libris exposita. Cui accessit appendix de Translatione Imperij, tribus libris comprehensa.

IN his libris nihil ferè traditur, quod apud Euangelicos in confesso sit, exceptis ijs, quæ libr. 1. de præstantia monarchiæ in genere, & quæ libr. 3. de quibusdam Antichristi notis, denique quæ lib. 5. aduersus directum Pontificis Romani dominium temporale disputantur. Reliqua igitur axiomata, quæ Bellarminus

hic

hic operosè pro fictitio Rom. Pontificis primatu affert, accurateque defendere conatur, nostri homines omnino perniciosos errores, & Antichristianas hæreses esse statuunt, nempe hæc quæ sequuntur.

Errores Pontificij de hoc loco.

1 *Regimen Ecclesiæ militantis, etiam sine respectu supremi capitis nostri Christi, siue quoad externum hominum ministerium, omnino monarchicum esse oportet: non autem democraticum, nec aristocraticum* lib. 1. c. 5. & d.

2 *Apostolus Petrus ab ipso Christo constitutus est non modò collegij Apostolici princeps: sed etiam generalis vicarius, monarcha, seu caput secundarium & ministeriale totius Ecclesiæ in hac terra militantis.* Ibid. c. 10. & d.

3 *Idem: Apostolus complures annos episcopus fuit Ecclesiæ Romanæ, atq; in hoc episcopatu suo tãdẽ Romæ mortuus est. Id quod non modò certum, sed & necessario credendum est.* lib. 2. c. 1. & d.

4 *Pontifex Romanus est legitimus Apostoli Petri successor, in episcopatu simul & Apostolatu: & proinde tam diuino primæ institutionis, quàm naturali successionis iure est caput & Monarcha totius Ecclesiæ militantis.* c. 12. & d.

5 *Idem Pontifex hoc iure suo nunquam excidit, nec doctrinam Christi & Apostolorum vllo modo corrupit: nedum vt Antichristus ille singularis vnquam euaserit.* lib. 3. cap. 1. & d. ferè per totum.

6 An-

6 *Antichristus ille magnus, quem S. literæ passim depingunt, nondum hactenus in mundo apparuit: etsi quidam eius prodromi iam pridē venerunt, inter quos etiam Lutherani, h.e. Euangelici, censendi sunt.* c.2. & d.

7 *Prædictus Antichristus demum in ipso fine mundi adueniet, eritq; homo singularis (non ordo seu genus quoddam hominum) oriturus ex Iudæis, è tribu Dan., & ab iisdem pro Messia suscipiendus; qui & Hierosolymæ in templo externo tanquam Deus sedebit, & tribus cum dimidio annis tantum regnabit, & Missam, cum vniuersa religione Christiana palàm abolebit*, &c. Ibidem c.3. & d, ferè per totum.

8 *Pontifex Rom. habet supremam & generalem potestatem in spiritualibus, h. c. rebus ad conscientiam & religionem spectantibus: vtpote summus omnium fidei controuersiarum iudex & arbiter* lib.4.c.1 & d. per totum.

9 *Iudicium eius de religione prorsus infallibile est, si modò ex cathedra doceat, h.e. non vt simplex doctor, sed vt Pontifex & Iudex, cum auctoritate sententiam dicat, & in quæstione iuris, non autem facti versetur: licèt interim quoad vitam scelestus & impius esse possit.* Ibid. c.2. & d.

10 *Non modò Pontifex in fide errare non potest, sed neque particularis Ecclesia Romana tota fieri apostatica: nempe propter priuilegium sedis Apostolicæ, quæ tamen inde fortassis auferri potest.* c.4.

11 *Piè & probabiliter creditur, Pontificem, ne quidem vt particularis persona est, hæreticum*

fieri

fieri posse: licet & rationes euidentes, & exempla plurima in contrarium afferri soleant. c. 6. & d.

12 *Idem Pontifex habet & concilium potestatem ferendi leges in conscientia obligantes, & earū transgressores excommunicatione, interdicto, aliisq; pœnis spiritualibus seu canonicis multandi.* c. 15. & d.

13 *Solus Pontifex (vt olim Apostoli) iurisdictionem suam immediate habet ab ipso Christo: reliqui verò Episcopi, quidquid pot estatis habent, id totum à Pontifice capiunt.* c. 22. & d.

14 *Idem Pontifex habet summam potestatem in temporalibus, seu rebus politicis, non directè quidem (vt Canonistæ volunt) sed tamen indirectè & consequenter; nempe propter iustam illam & necessariam subordinationē qua temporalis potestas spirituali meritò subijcitur* lib. 5. c. 1. & d.

15 *Atque ex hoc fundamento Pontifex iure potest leges etiam ciuiles condere, reges & principes arbitratu suo constituere, aut deijcere, regnaque huius mundi transferre, prout Ecclesiæ expedire putauerit. Id quod etiam non semel ab ipso feliciter effectum est.* ibid. c. 6. & d.

16 *Non modò licitum & honestum, verùm, etiam valdè vtile, & quodammodo necessarium est, vt iidem sint Episcopi & principes seculares.* c. 9. & 10.

17 *Auctoritate solius Pontificis Imperium Romanum, & iustè quidem, à Græcis ad Francos, deinde ab his ad Saxones translatum est: & postea septem Electores ab eodem constituti: ac proinde Imperatores omnino vt Pontificis vasallos*

sallos se gerere oportet, nisi imperium ad aliam gentem transferri velint. In Appendice, totis 3 libris.

ANTIDOTVM.

Aduersus has insanas, & prorsus intolerabiles atque impudentes assertiones, multa passim præclare ab Euangelicis scripta sunt. Inter quæ vide in primis, Harm. Confess. sect. 10. & 11. & 19. Confess. Zanchy c. 24. & 25. Tum quæ Luth. tom. 2. Ienens. de Antichristo, & tom. 3. de potestate Papæ, &c. item Bulling. in decad. & in homilys super Apocalyp. &c. Caluin lib. 4. Inst. cap. 6. & 7. Illyricus & alij in suis centurijs, &c. item quæ Melanch. Martyr, Musculus, Aretius, &c. in locis communibus de regimine & ministris Ecclesiæ, deque primatu Romani Pontif. & Antichristo, passim scripserunt: item quæ Danæus, Iunius, Sibrandus, Sutliuius & alij ad hanc controuersiam annotarunt. Vide etiam disputationes Sadeelis contra Turrianum, & Burdegal. Sohnium tom. 1. in thesibus & Beurlerum de Antichristo Rom. Vide præterea declamationem Vallæ contra Donat. Constantini Magni, & Brut. Sulmen. Hotoman. &c. Item Marsilium Patauinum, & alios iuris Imperatoris assertores: denique Matthæum Dresserum, & similes Historicos translatione Imperij, &c. Adde & nupera illa scripta, pro causa Venetorum, contra Papam Paulum V.

Ex Tomo secundo.

I^a. PARS, SEV CONTROVERSIA I^a GENERALIS,

De Conciliis & Ecclesia, quatuor libris tractata.

De Conciliis, eorumque auctoritate.

EXtra controuersiam apud nos sunt, quæ generatim hîc de natura, & speciatim de variis generibus, item quæ de salubri auctoritate, siue vsu & necessitate Conciliorum sic disseruntur, vt commodè accipi possint, &c. Reliqua ferè erronea & falsa sunt, quæ iam sequuntur.

Errores Pontific. de hoc loco.

1 *Distinctio Conciliorum in approbata, reprobata, mixta, & neutra, pendet tota à iudicio & nutu Romani Pontificis.* lib. 1. cap. 4. & d.

2 *Vsus & necessitas Conciliorum est, non modò hæreses & schismata tollere, siue Ecclesiam reformare, sed etiam de bellis contra hostes Ecclesiæ gerendis, & eiusmodi rebus Politicis decernere.* Ibid. c. 9.

3 *Concilia generalia aliquo modo, particularia verò simpliciter & absolutè necessaria sunt, ad tuendam Ecclesiæ salutem: neutra tamen quidquam valent absque Pontifice, &c* c. 10 & d.

4 *Potestas conuocandi Concilia generalia penes solum Pontificem, vt particularia penes Episcopos est: non autem penes Imperatorem, aut Principes Christianos.* cap. 12.

5 *Suffragia decisiua in Concilijs habent soli Episcopi, item Abbates, & ordinum generales: reliqui verò Theologi tantum vt consiliarij habendi sunt.* c. 15. & d.

6 *Laici in Concilijs, nec iudices esse possunt, nec consultores: sed testes ac defensores tantum, vt principes; vel famuli ac ministri, vt priuati fideles.* Ibid.

7 *Præses Concil. OEcumenici esse debet, non Imperat. aut princeps aliquis secularis; sed solus Pontifex, siue immediatè per se, siue mediatè per suos legatos.* c. 19. 20.

8 *Concilia à Pontifice confirmata, licèt particularia sint, errare in decretis suis non possunt: reliqua verò omnia possunt, licet maximè OEcumenica sint.* lib. 2. c 2. & d.

9 *Itaque in illis prioribus simpliciter Christianos omnes acquiescere oportet: nec cuiquam licet eorum decreta in dubium vocare, aut ad Scripturam examinare.* cap. 3. & 4.

10 *Auctoritas Conciliorum non quidem absolute, sed tamen respectu nostri, & quoad sensum siue explicationem, maior ac certior est authoritate S. Scripturæ.* c. 12.

11 *Concilia nec supra Papam sunt, nec summam Ecclesiæ potestatem in se continent: sed contrà Pontifex absolutè est supra quæuis Concilia, vtpote summus pastor, monarcha, caput, & denique sponsus totius Ecclesiæ, etiam in vnum collectæ.* c. 13. & d.

12 *Quare nec Papa seipsum conciliare Conciliorum sententiæ subijcere potest: nedum vt inuitus ei subiectus sit: quippe qui omnes iudicare debet,*

ipse

ipse à nemine, præterquam solo Deo, iudicandus. cap. 18. & 19.

DE ECCLESIA *eiusq; Notis.*

QVæ sequentibus 2. libris de hoc argumento disputantur, omnia ferè falsa & hæretica sunt; iis tantum exceptis, quæ lib. 3. de quibusdam, qui ad Ecclesiam vel pertinent, vel non pertinent: item ijs, quæ lib. 4. de nonnullis Ecclesiæ notis ita dicuntur, vt satis commodè de professione orthodoxæ doctrinæ, siue de legitimo verbi & Sacramentorum ministerio, explicari possint. Hæc autem subiecta axiomata erroris meritò damnantur.

Errores Pontificij in hoc capite.

1 *Ecclesia est cœtus eorum tantum, qui eandem fidem profitentur, eademq; Sacramenta vsurpant, sub regimine vnius Pontificis Romani.* lib. 3. cap. 2. & d.

2 *Non pertinent ad Ecclesiam, quicunque nondum baptizati sunt, item catechumeni, & quouis modo excommunicati: licèt interim vera fide præditi sint, & salutem etiam æternam vnà cum aliis consequantur.* cap. 3. & d.

3 *Contrà ad Ecclesiam Christi propriè dictam reuera pertinent etiam reprobi occulti infideles, & magni seu manifestarij peccatores: dummodo fidem*

Catholico-Romanam supradicta ratione profiteantur. cap 7. & d.

4 *Multi vera Christi membra esse possunt, & solent, qui tamen viua membra non sunt, hoc est, qui spiritu eius viuifico, internaq; fide planè carent.* Ibid.

5 *Vera & catholica Christi Ecclesia semper in hoc mundo visibilis seu conspicua est, & quidem in se & sua natura siue essentia.* c. 12. & d.

6 *Externa hæc seu visibilis Ecclesia perpetuo durare debet, nec vnquam penitus obscurari, vel à professione veræ fidei desicere potest.* ca. 13. & d.

7 *Eadem hæc Ecclesia in nullo religionis capite errare vnquam potest, vtpote columna & firmamentum, imò magistra diuinæ veritatis.* cap. 14. & d.

8 *Professio sanæ doctrinæ, & legitimus sacramentorum vsus, non sunt propriæ notæ visibilis illius Ecclesiæ, cui fideles adiungere se debent: vtpote Ecclesiâ ipsâ obscuriores, & hæreticis omnibus communes,* &c. lib. 4. cap. 2.

9 *Veræ & propriæ notæ seu σημεῖα Catholicæ Ecclesiæ sunt: appellatio Catholica, antiquitas, perpetuitas, amplitudo, continua Episcoporum successio, consensio in eadem doctrina, item temporalis felicitas, & similes aliæ.* c. 3. & d.

10 *In Ecclesia Romana nulla vnquam facta est doctrinæ mutatio: nec mutationis istius auctor, tempus, locus, aliæque circumstantiæ demonstrari possunt.* cap. 4. & d.

11 *In eadem Ecclesia Romana, & quidem sola, reperitur etiam nunc vnitas in vera fide, consensus*

sensus orthodoxus cum antiqua siue Apostolica Ecclesia, sanctitas & efficacia tum doctrinæ, tum vitæ, item donum miraculorum, lumen prophetiæ, &c. c. 9 & d.

12 *Ecclesiæ Euangelicorum omnes & hæreticæ & schismaticæ sunt: nec quisquam in ijs salutem æternam adipisci potest: quum nullæ ex supradictis notis verè ijs conueniant Passim toto libro.*

ANTIDOTVM.

Errores de Conciliis refutatos inuenies in Harm. Confess. sect. 1. & 10. & 11. item in tractatibus Lutheri de Conciliis & Ecclesiæ, tomo 2. & 4. Jenensi: apud Caluinum libr. 4. Institut. cap. 9. & d. apud Melanchthonem, Martyrem, Musculum, Aretium, &c. in Locis commun. inprimis verò apud Bullingerum in libris 2. de Conciliis, vbi argumentum hoc diffusè & absolutè tractatur. Vide & Withakerum de Conciliis, & quæ Danæus, Iunius, & alij contra Bellarminum hic scripserunt.

Errores autem de Ecclesia plurimi ex nostris confutarunt. Vide præter Harm. confess. locis citatis, etiam confess. Zanchij cap. 23 & d. Caluin. lib 4. Institut. cap. 1. & d. item Melanchth Martyrem, Musculum, Aretium, & alios locorum communium Scriptores tit. de Ecclesia. Nominatim vide Sadeelem contra Arturum & Posnanienses, item Mornæum, Withakerum, Rainoldum, Sutliuium, &c. qui ex professo contra Pontificios de Ecclesia, eiusque notis & proprietatibus, & quidem [redacted]atè scripserunt.

SECVNDA PARS, SEV SECVNDA GENERALIS CONTROVERSIA,

De triplicibus Ecclesiæ militantis membris, 3. libris comprehensa.

1. *De Clericis seu Ministris Ecclesiæ.*

EXtra controuersiam hîc sunt, quæ de salutari vsu & necessitate sacri ministerij, deque nonnullis ministrorum ordinibus, item honestis alimentis seu stipendiis, & qualicunque eorum immunitate à piis principibus ac magistratibus ob honestas causas iisdem concessa, non male disseruntur. Sequentia verò dogmata inter errores Antichristianos meritò numerantur.

Errores Pontificij in hoc capite.

1 *Soli Ecclesiæ Ministri, & quidem propriè loquendo, sunt Clerus ille, hoc est sors & hæreditas Domini, cuius in Scriptura passim fit mentio.* lib. 1. cap. 1.

2 *Ius eligendi seu vocandi ministros, non etiam ad Ecclesiam seu populum fidelem, neque ad magistratum politicum: sed ad solos Episcopos, & potissimum ad Pontificem, pertinet.* cap. 2. & d.

3 *Quòd populus aliquando ius eligendi habuit, id ex conniventia & concessione Pontificis, nullo autem iure diuino factum est.* cap. 7.

4 Pon-

4 *Pontifex non eo modo quo alij Episcopi, sed per Cardinales & R. aut his sede non existentibus, per Clerum Romanum & vicinos Episcopos eligendus est.* c. 9. 10.

5 *Ordines ministrorum in Nouo Testamento, qui sacri & perpetui habentur, septem sunt verè inter se distincti: nempe Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acoluthi, Diaconi, Subdiaconi, et Sacerdotes.* c. 11. & d.

6 *Episcopi iure diuino superiores sunt Presbyteris in verbi ministerio versantibus, hoc est Pastoribus, quoad potestatem ordinis simul & iurisdictionis.* c. 14. 15.

7 *Cœlibatus perpetuus, ex instituto Apostolorum, omnibus verbi ministris necessario seruandus est, quippe quorum functio cum usu coniugij planè pugnat, siue ante, siue post ordinationem id contrahant.* c. 18. & d.

8 *Digami illi, qui successiuè duas vel plures uxores habuerint, etiam bis iam mortuis, eodem Apostolico iure ab Ecclesiasticis officijs arcendi sunt.* c. 23. & d.

9 *Clerici non tantum in Ecclesiasticis, sed etiam in ciuilibus causis, à iudicijs & subiectione politici magistratus exempti sunt: idque non humano tantum sed & diuino & naturali iure.* c. 28. & d.

10 *Non tantum personæ illorum, sed & bona omnia à tributis, aliisq; oneribus secularibus, eodem illo iure immunia sunt: immo magistratus nihil planè iuris in ipsos eorúmq; bona obtinet, vt qui legitimus eorũ magistratus censeri non possit.* c. 29. & d.

HIc ferè nihil est, quod probare possimus: nisi quòd ipsam per se vitam solitariam, seu monasticen (si absit opinio religionis seu cultus, item superstitio votorum, &c. adsint autem causæ aliquæ probabiles, Christianis non indignæ) simpliciter improbare nec possumus, nec solemus: siue quis in hoc statu merè contemplatiuam, siue actiuam, siue denique mixtam quandam vitam sequatur. Similiter cum de votis in genere, præsertim moralibus, agitur, aliquem certè eorum vsum salutarem, etiam in Nouo Testamento agnoscimus: seruatis tamen conditionibus, quæ seruandæ sunt. Abusum verò tum monasticum, tum votorum monasticorum, optimo iure reprehendimus, qui sanè multiplex est in Ecclesia Romana Hæc igitur quæ sequuntur, axiomata, meritò inter absurdos errores deputamus.

Errores Pontific. in hoc capite.

1 *Monachatus est status religiosus, seu perfectionis Euangelicæ, in quo quicunque degunt, ij & salutem æternam facilius sibi mereri, & pro aliis opera supererogationis, hoc est, indebita quidem, sed Deo perquam grata & accepta, eoq; etiam inprimis satisfactoria, præstare possunt.* lib. 2. ca. 2. & 6 & d.

2 *Origo illius status antiquissima est, & non*

ad

ad fortuitum casum, vel errorem aliquem; sed ad ipsos Apostolos, & Ioh. Baptistam: imò ad Eliam, & Elisæum, item Rechabitas, & Nazaræos, denique ad Enosum referenda est: quippe à quibus nostri monachi reipsa nihil differunt. Ibid. c. 5.

3 *Fundamentum status monastici, sunt consilia euangelica, à præceptis Christi verè diuersa, imò longè ijs excellentiora: vt quorum obseruatio ad salutem quidem necessaria non sit, maiorem tamen & Deum promerendi, & pro alijs satisfaciendi vim, quàm obseruatio mandatorum Dei, habeat* Ibid. c. 7. & d.

4 *Vota istorum consiliorum non modò Christianis benè conueniunt, sed & singulariter Deo grata sunt, vtpote pars excellentior diuini cultus: eoque studiosè sunt & suspicienda, & implenda: vt consiliorum præstatio tanto plus apud Deum mereatur, tantoque maiorem etiam pro alijs satisfaciendi vim habeat.* Ibid. c. 14. & d.

5 *Inter alia consilia euangelica est voluntaria paupertas, siue bonorum omnium secularium abiectio: cuius votum à quocunque susceptum, Deo valdè placet, adeoque vim habet merendi & satisfaciendi, vti iam diximus. Estque hoc primum ex votis monasticis, quibus essentia religionis continetur.* Ibid. c. 20.

6 *Alterum essentiale monachorum votum est obedientiæ regularis, per quam proprio sensui renuntiantes, simpliciter suis præpositis iuxta regulas sui quisque ordinis obtemperant. Atque hoc etiam votum Deo pergratum, imò & meritorium ac*

satisfactorium est. c. 21.

7 *Tertium huius generis, & quidem inprimis excellens votum, est perpetuæ continentiæ, seu cœlibatus: quod etiam, quicunque voluerit, reipsa implere potest: quum continentia illa specialis, quæ coniugio simpliciter aduersatur, saltem mediate in arbitrio nostro posita sit.* &c. c. 22. & d.

8 *Votum perpetui cœlibatus olim à Maria Virgine, multisq; aliis tum viris, tũ fœminis, solenniter nuncupatum, & reipsa quoque impletum est: idque ad regnum Dei tantò facilius promerendum.* Ibidem.

9 *Non adulti tantùm: sed & pueri & puellæ, modò rationis vsum habeant, etiam inuitis parentibus, prædicta vota monastica suscipere, & monasterium ingredi possunt.* c 35. 36.

10 *Similiter omnes coniuges, ante consummatum matrimonium quidem, inuita etiam parte altera: post verò, ex mutuo consensu coniugium dissoluere, & monachatum suscipere possunt.* Ibib. c. 37. 38.

11 *Eremitarum siue anachoretarum (qui cœnobitis opponuntur) assidua solitudo, vitæ austeritas, & exercitii in speciem stulta, exemplo Baptistæ, Eliæ, Elisæi, & aliorum Sanctorum, non tantum licita: sed & admodum laudabilia censeri debent.* c. 39.

12 *Habitus & tonsura monachorum, cuiuscunque ordinis sint, mysteriis suis non carent: quippe quæ pœnitentiali ipsorum professioni bene conueniunt, & proinde etiam exemplis Sanctorum modò dictis meritò defenduntur.* c. 40.

13 Me-

13 *Monachi tum cœnobitæ, tum eremitæ, licet nullum in Ecclesia aut Schola ministerio fungentes, ad laborem manuum minimè obligantur: sed vel ex propriis bonis in commune collatis, vel ex oblatis aliorum donariis, vel denique ex mendicatione (exemplo scilicet Christi & Apostolorum) viuere possunt.* c. 42. & d.

3. De Laicis, siue Magistratu politico.

EXtra controuersiam apud Euangelicos sunt, quæ bona huius libri parte aduersus Anabaptistas, & alios, pro magistratu politico, eiusque iure & officio, satis benè disseruntur. Nam omninò agnoscimus, etiam Christianis licere Magistratum gerere: & potestatem hanc à Deo ordinatam, & generi humano salutarem esse. Item fatemur, impio etiam magistratui in rebus licitis obtemperandum: neque illum propter impietatem iure suo priuandum esse. Quod vtinam aduersarij quoque reipsa agnoscerent! Adhæc, potestatem illius in ferendis legibus, & exercendis iudicijs, tum publicis, tum priuatis, illibatum relinquimus: & Christianis etiam iudicialiter causas suas agere licere scimus. præterea, ius gladii Magistratui non eripimus: nec iusta & necessaria bella temere damnamus. Denique, sacrorum inspectionem, seu curam religionis externam eidem concedimus, & moderatam iustamque verorum hæreticorum coercitionem non improbamus, &c. Sunt

tamen

tamen alia quædam hîc non minimi momenti, in quibus ab Aduersario dissentimus, nempe hæc, quæ sequuntur.

Errores Pontificij in hoc capite.

1 *Leges omnes à politico magistratu latæ, siue ad causas ciuiles, aut criminales, siue ad bellum aut militiam pertineant, &c. non minus, quàm ipsius Dei leges, vnumquemque fidelem in conscientia sua obligant.* lib. 3. c. 11. & d.

2 *Ad politicum magistratum pertinet tantum defensio religionis, non autem cognitio, & iudicium: h.e. tenetur magistratus in causa religionis id exequi, quod Ecclesiastici decreuerint, siue rem intelligat, siue non.* lib. c. 17. & 18.

3 *Non licet vlli magistratui vel principi, conscientiæ libertatem, seu pacem religionis subditis suis concedere: sed vnam tantùm Religionem (puta antiquam, siue receptam) summa vi defendere tenetur.* Ibid c. 18.

4 *Catholici cum hæreticis (i. Pontificij cum Euangelicis) nullo modo conciliari possunt: eoque pacificatio inter eos per magistratum, vel quemuis alium, quærenda seu procuranda non est.* c. 19.

5 *Libri hæreticorum omnes, sine delectu per magistratum, etiam inuitis eripiendi, penitusq; abolendi, & igne cremandi sunt.* c. 21. 22.

6 *Hæretici, ab Ecclesia (nempe Romana) damnati, non modo pecuniarijs, sed & corporalibus pœnis, adeque supplicio mortis per magistratum mulctandi sunt.* c. 21. 22.

AN-

ANTIDOTVM.

Contra errores de Clericis, siue Ecclesiæ ministris vide Harmoniam Confessionum sect. 11. & 18. Confess. Zanchii cap. 25. Lutherum de captiuitate Babilonica, & de ministris constituendis ad Senat. Pragens. &c. Bucerum de regno Christi lib. 1. & de vera animarum cura, Caluinum l. 4. Iustit. cap. 3. & 4. Melanchthonem, Musculum, Martyrem, Aretium & c. in locis communibus tit. de Verbi ministris, eorumq; gradibus, officiis, & vocatione, deq; coniugio sacerdotum, &c. Bullingerũ in decadibus. Item Chemnit. par. 3. examinis Concilij Trident. Bezam in Confess. cap. 5. & 7. & in lib. de polygamia, &c. Sadeelẽ de legitima ministrorum vocatione, & contra Burdegal. &c. Vide etiam contraria de hoc argumento scripta Bezæ & Sarauiæ, præsertim quoad diuersos ministrorum ordines.

Contra errores de Monachis, & eorum votis, vide prædictam Harmoniam sect. 18. Luth. de votis monast. tom. 1 & 2. Calu. lib. 4. institut. cap. 13 Bullingerum in decad. part. 3. Melanch. Musculum, Aretium in loc. commun. titul. de votis ac Monachis, deque operibus Supererogationis, &c. & imprimis Petrum Martyrem de Votis contra Smithæum: item commentatores in Matth. 19. & 1. Corinth. 7. & 9. & 1. Timot. 5. præsertim Bucerum & Martyrem. Vide etiam Illyricum & alios in centuriis Magdeburgicis, & Polydor. Virg. de origine & progressu Monachorum.

Contra errores de magistratu, vide Harm. confes. sect. 19. Confess. Zanchii c. 26. Bullin. in decad. par. 2.

tum

tum Luth. in assert. articul. item loc. com. Melanth. Martyris, Musculi, Aretij, tit. de magistratu, deque hæreticis, &c. Item Cal. libri. Inst. cum. Confer etiam tract. Caluini & Bezæ de puniend. hæret. cum libro Brentij de pœna Anabaptistarum.

III PARS.

De Ecclesia laborante in Purgatorio, quæ est 3. generalis controuersia huius Tomi, 2. libris tradita.

IN his libris nihil ferè sani reperitur, quod ab Euangelicis tanquam confessum admittatur: tantum si ea excipias, quæ libr. 1. de oratione pro mortuis, quâ Deo simpliciter ipsi commendantur, & pro donis in illos collatis gratiæ aguntur, denique plena felicitas ijs optatur: item quæ lib. 2 sub fin. de honesta corporum sepultura, in genere traduntur: quæque eodem lib. de statu mortuorum intermedio, Scripturæ satis consentienter docentur, quod videl. animæ fidelium separatæ nec mereri, nec demereri possint, deque salute sua certæ sint &c. quæ quidem ipsam Purgatorij doctrinam non parum labefactant. Cæterùm hæc sequentia pronunciata, vt planè noxia, superstitiosa & hæretica, omninò damnamus.

Errores Pontificij de Purgatorio.

1 *S. Scriptura V. & N. Testamenti passim docuit, omnesque fideles semper hactenus crediderint, esse*

esse carcerem quendam pœnalem apud inferos, in quo animæ plerorumque fidelium post hanc vitam ad tempus igne quodam infernali excrucientur, ac purgentur: qui propterea ignis purgatorius dicatur. libr. 1. cap. 2, & d. ferè per totum.

2 *Fundamentum huius dogmatis in S. literis explicatum, est necessitas nostræ propriæ satisfactionis pro peccatis venialibus, aut pœnis temporalibus, post remissam mortalem culpam manentibus.* Ibid. c. 7.

3 *Adeò verò ad salutem necessaria est huius purgatorii fides, vt qui eam reijcit, ob id ipsum vel solum æterna morte periturus sit.* Ibid c. 11.

4 *Animæ laborantes in purgatorio nec mereri, nec demereri, nec adeo quidquam operari: sed tamen diuinæ iustitiæ satisfacere possunt: & præterea de salute sua certæ sunt, & fidem, spem, charitatem, & reliqua ad meritum requisita habent,* &c. lib. 2. c. 2. & d.

5 *Locus purgatorii est subterraneus, videl. infra vtrumq; Inferni limbum, proximè supra Gehennam situs. Atque hunc situm inter hæc 4. animarum receptacula requirit distinctio quadruplicis pœnæ apud inferos luendæ.* Ibid. c. 6.

6 *Animæ istæ nonnunquam è purgatorio, ad tempus emittuntur: & postquam in terris aliquandiu apparuerint, rursus eodem se conferunt: id quod aliis animabus in inferno, & limbo puerorum degentibus nunquam conceditur.* Ibib. c. 7

7 *Non durabit vsus purgatorii post resurrectionem mortuorum, licèt multorum animæ paulò antè illuc ingressæ, longiorem purgationem meritæ*

fiat,

sint, & indulgentiæ iis ad multa annorum millia sæpe concedantur. c. 10.

8 *Ignis Purgatorii verè corporalis est, & tamen in animas separatas efficaciter agit, cuiusque cruciatus omnes huius vitæ pœnas longè superat: quem etiam à Diabolis subministrari credibile est.* Ibid. cap. 11 & d.

9 *Suffragia viuorum, hoc est, preces, luctus, ieiunia, eleemosynæ, Missæ, &c. animabus illic degentibus plurimùm prosunt, itemque indulgentiæ Papales: ac proinde officia hæc omnia mortuis diligèter impendenda sunt.* Ibid cap. 15 & d.

10 *Sepultura corporum est opus non modò bonum, sed & meritorium: eaque fieri non debet, nisi in locis ab Episcopo consecratis, adhibitis hymnis, cereis, titulis, & sacrificiis anniuersariis,* &c. Ibidem capite. 19.

ANTIDOTVM.

Vide contra hos errores Harm. Confess. sect. 16. Confess. Zanch cap 25. & 28. & De natura Dei lib. 4. c. 4. item Lutheri disput. cum Eccio de Indulgentiis & Purgatorio, tom. 1. Melanch. Martyrem, Muscul. in locis com. tit. de statu animarũ post mortem, deque Purgatorio, & oratione pro mortuis: Aretium problem. 129 & d. item Chemnitium part. 3. examin. Caluin. lib. 3. Instit c. 5. Bezam in Confess. c. 7. Sadeelem de vera peccatorum remissione, & contra Burdegalens. inprimis verò Matth. Sutlliuum De purgatorio, aduersus Bellarm. &c.

IV

IV. PARS.

De Ecclesia triumphante, siue de cultu Sanctorum, item reliquiarum, imaginũ, &c quæ IV. est generalis controuersia huius tomi, tribus libris pertractata.

EXtra controuersiam hîc sunt, quæcunque Bellarminus in his libris de beata fidelium mortuorum quiete, & legitima veneratione: item de indifferentia, deque politico & historico imaginum vsu: denique de vera templorum, & dierum festorum sanctificatione disserit. Neque enim Sanctis in Christo mortuis suam qualemcunque felicitatem detrahimus: nec legitimum cultum, qui in prædicatione & imitatione ipsorum præcipuè consistit, ijs denegamus: nec omnem etiam sacrarum picturarum vel imaginum vsum damnamus: nec templa Christianorum honestè habenda, & dies festos ad publicum Dei cultum religiosè obseruandos esse, inficiamur, &c. Sed idololatriam tantum & superstitionem multiplicem, quam Pontificij in istarum rerum vsu exercent, meritò damnamus. Talia autem sunt hæc sequentia illorum axiomata.

1 *Sancti mortui non modò beata quiete apud Deum fruuntur, sed etiam adeò perfectam gloriam, & felicitatem iam reipsa possident, vt meritò ἰσαγγέλοι appellari, & coronas, seu præmia promissa iam planè obtinuisse dici possint.* lib. 1. c. 2. & d.

2 *Canoniza-*

2 *Canonizatio Sanctorum, hoc est publica sanctitatis & gloriæ ipsorum commendatio, per quam publici honores & cultus iis decernuntur, iure optimo ab Ecclesia, vel pontifice Romano fieri solet: quos etiam hac in re minimè errare, omnino credendum est.* lib. c 7. & d.

3 *Sancti non canonizati iussè quidem à nobis coli, h.e. adorari atque inuocari possunt; sed priuatim tantum, non autem publicè.* c. 10.

4 *Sancti mortui, præsertim canonizati (vti & cœlestes Angeli) non humano vel ciuili tantum, sed & diuino seu religioso cultu nobis adorandi sunt: minore tamè, quã quo Deus ipse adoratur, h.e. cultu duliæ, vel etiã hyperdulia, nõ autẽ latria. Atq; hic cultus nullo modo idololatricus est.* c. 11. & d.

5 *Iidem Sancti, licèt à nobis longissimè absentes, in necessitatibus etiam nostris supplices inuocandi sunt; non quidem vt primarij beneficiorũ auctores, sed vt impetratores eorum & aduocati nostri secundarij apud Deum.* lib. c. 15.

6 *Iidem Sancti non tantum in genere pro Dei gloria & salute Ecclesiæ, sed etiam in specie, pro his vel illis necessitatibus, horum vel illorum hominũ, præsertim amicorum suorum sollicitè Deum orant: idq; ipsorum, quam nobiscum, h.e. cum Sanctis viuentib habent, communio requirit.* c. 18.

7 *Iidem Sancti gemitus & preces nostras, vbicunq; locorum fusas, exaudiunt, & res siue actiones & passiones nostras distinctè & particulatim perspectas habent: vt qui omnia vel in Dei facie videant, vel ex relatione Angelorũ, vel alia simili reuelatione diuina, percipiant, &* c. c. 20.

8 Inuo-

8 *Inuocatio Sanctorum mortuorum propria Dei & Christi, Mediatoris gloriã minimè lædit: quũ nec diuinas proprietates vel operationes illis tribuat: nec redemptionis, sed tantum intercessionis mediatores eos constituat.* Ibidem.

9 *Inuocatio hæc sanctorum non modò licita, sed & valde vtilis, adeoq; necessaria nobis est: quum Deus ad illorum intercessionem sæpe nos exaudiat, vel aliqua ratione nobis opem ferat, quos alioqui rejecturus aut neglecturus esset.* Ibidem.

10 *Rectè & sapienter fit, quòd diuersa beneficia à diuersis Sanctis petuntur, & varia rerum humanarum (puta artiũ, officiorum, morborum, &c.) procuratio inter eos diuiditur.* Ibidem.

DE RELIQVIIS, IMAGINIbus, & earum cultu.

1 *Reliquiæ Sanctorum (puta Ossa, cineres, vestes, &c.) in sacris locis diligenter asseruandæ, preciosis thecis includendæ, denique religiosè ab omnibus colendæ sunt: vtpote templa, vel instrumenta Spiritus sancti.* lib 2. c. 2. & d.

2 *Etsi reliquiæ non prorsus eodem adorationis genere, quo Spiritus Sanctorum; maiore tamen quàm humano & ciuili cultu, adorandæ sunt: puta religiosa supplicatione, osculatione, circumgestatione, suffitu seu thurificatione, luminum accensione, &c.* Ibid c. 4.

3 *Imagines rerum verarum, licèt etiam religiosè colantur, non tamen idola, vix etiam simula-*

bra

lachra dici possunt : cùm idolum rei fictæ similitudo sit, simulachrum verò à simulando nomen habeat. c. 5.

4 *Non tantum creaturarum, sed ipsius etiam veri Dei, & S. Trinitatis imagines ac statuas effermare licitum est, nec vsquam in verbo Dei prohibitum* c. 8.

5 *Imagines tum Dei, tum creaturarum rectè in templis aliisque locis publicis collocantur; idque non modò ad ornatum, & vsum historicum, sed etiam religionis, & cultus causâ* c. 9. & 10.

6 *Eædem imagines tum Dei, tum Angelorũ & hominum sanctorum, propriè & per se, non autem tantum respectu prototypi, colendæ sunt, & quidem cultu religioso supra dicto : quo & populus Dei in V. T. eas affecit.* c. 12. & d.

7 *Imagines Dei, & Christi, etiam cultu meri diuino seu latria afficiendæ, h. e. eodem cultus genere, quo exemplaria ipsa seu prototypa, adoranda sunt : non tamen propriè & directè, sed analogiâ & reductiuè* c. 20. & d.

8 *Verum crucis dominicæ lignum, cui Christus ipse aliquando affixus sanctitatem singularem contulit, & quod olim ab Helena Constantini M. matre, mirabiliter inuentum fuit, eiusque frustula quælibet planè religioso & plus quam ciuili cultu adoranda sunt.* c. 26. 27.

9 *Imagines eiusdem crucis, siue pictæ, siue sculptæ,* &c *passim in templis, aliisque locis publicis erigendæ, & suppliciter ipsæ quoque licet non eodem modo quo vera crux, colendæ sunt.* c. 28.

10 *Signum*

10 *Signum crucis Dominicæ sæpius religionis causâ in fronte, vel pectore formandum est; quippe quod vim spiritualem habet cõtra dæmones & quidem ex opere operato simul & operantis*, c 29.

DE TEMPLIS ET FESTIS

1 *Templa Christianorum tribus partib. ad modũ templi Salomonis omninò constare: eorumque intimam, quam* Chorum *vocant, non nisi ad orientem spectare oportet: quò etiam orantes necessariò conuertere se debent.* lib 3. c. 3.

2 *Vsus seu finis templorum est, non tantùm ad conciones habendas, & sacramenta ministranda, &c. sed etiam ad Christum ipsum in ijs sacrificandum, & Sanctorum reliquias asseruandum, &c.* c. 4.

3 *Templorum consecratio, siue ad sacrum vsum dedicatio, omnino fieri debet per varias vnctiones, aspersiones, signationes, characteres, aliosq; ritus mirificos, in V. T. bona ex parte vsitatos* c. 5.

4 *In templis quoque solennes benedictiones, siue exorcizationes aquæ, salis, cinerum, palmarum, & aliarum rerum fieri non modò rectè possunt, sed etiam omnino debent.* c. 7.

5 *Nulla superstitio est, sed opus planè pium & Deo gratum, religionis seu cultus ijs præstandi causâ ad varia Sanctorum loca vel sepulchra peregrinari, hoc in quibus eorum reliquiæ asseruantur.* c. 8.

6 *Rectè etiam in necessitatibus nostris, vel alijs*

de

de causis, singularia vota Sanctis mortuis nuncupamus: vt quæ ad Dei gloriam faciant, adeoque reipsa in Deum tandem terminentur. c.9.

7 *Festi dies vere & per se alijs dieb. sanctiores sunt: dierumq; discrimen non minùs præcisè & necessariò in N. quàm in V. T. obseruandum est; & Apostolus non nisi Iudaicum discrimen dierum in N. Testamento sublatum esse docet.* c. 10

8 *Non tantùm dies dominicus, sed etiam Pascha, Pentecoste, Natalis Domini, aliaque id genus festa ab Apostolis certò instituta sunt; eoque nomine necessariò & præcisè nobis celebranda.* c. 11. & d.

9 *Omnino nefas est, Christianos velle suum Pascha, more Iudæorum,* 14. *Luna celebrare: & qui Olim id fecerunt, merito ob hanc solam causam hæretici iudicati & excommunicati sunt.* c 12.

10 *Festa & vigiliæ etiam in honorem, hoc est ad cultum religiosum Sanctorum, celebrari possunt, & debent.* c. 13.

ANTIDOTVM.

Contra errores de canonizatione, adorat & inuocat. Sanctorum præsertim mortuorum, vide Harm. Confess. sect. 2. & 15. Confess. Zanchij cap. 22. &c Chemnitium part. 3. Examin. Caluin. lib. 3. Instit. cap. 20. Bezam. in Confess. c. 7. &c. Melancth. Martyrem, Musculum, Aretium, &c. in locis communibus, tit. de precatione, deque cultu & inuocatione Dei, item Angelorum & hominum, &c. Bulling. de orig. errorum lib. 1. & in de-

decadibus: Rainoldum de idololat. Rom. Eccleſiæ lib. 1. Vrſin. in Explicat. Catech. & Vol. 1. tractat. theolog. ad 1. & 3. Decalogi præceptum. Item Ioſ. contra Arturum: Sadeel. contra Burdegal. Sohnium tom. 3 ad Pſal. 65 &c.

Errores de cultu reliquiarum, imaginum, &c. refutatos habes in Harm. Confeſſion. loco citato, item apud Chemnit. part. 3. Examin. Caluin. lib. 1. Inſtitut. cap. 11. item in Inuentario reliquiarum. Vide & Rainold de Idololatria Romanæ Eccleſiæ lib. 2. Item Melanchth. Martyrem, Muſculum, Aretium, Eu'lingerum locis citatis, & quotquot fere in Decalogum ſcripſerunt ad 1 & 2. præceptum.

Contra errores de Templis & Feſtis, vide Harm. Confeſſ. cl. 15. & 16. Confeſſ. Zanchy c. 25. Eucerum de regno Chriſti lib. 1. c. 10. & d. & lib. 2. c. 10. & 11, item Chemn. par. 4. Exam. Bull. in decadib. part. 3 Martyrem, & Muſculum in locis communibus ad 4 præceptum Decalogi: Aretium probl. 56. & 78. & d. Vide etiam Polyd. Virgil & Hoſpinianum de origine & progreſſu templorum, & feſtorum, &c.

Ex Tomo tertio.

I. PARS.

De Sacramentis in genere: quæ prima eſt generalis controuerſia huius Tomi, 2. libros continens.

In

IN confesso apud Euangelicos sunt, quæ Bellarminus hîc lib. 1. generatim contra Sacramentorum contemptores, item quæ de libertate in vsurpando vocabulo Sacramenti; deque nonnullis rebus ad ipsius Sacramenti essentiam requisitis, denique de quibusdam illius causis, satis commodè differit. Etenim & nostri Sacramenta diuinitus instituta reuerenter suscipiunt, & signa diuinæ erga nos gratiæ, non quidem inania, sed efficacia, & suo modo exhibitiua, esse agnoscunt: quorum legitimus vsus minimè negligendus sit, &c. In secundo autem libro nihil fere traditur quod nostri simpliciter admittant: nisi quòd aliquo genere salutarem Sacramentorum effectum esse agnoscunt, & discrimen aliquod inter V. & N.T. signa constituunt: item, quòd pro diuersa vocabuli acceptione, vel plura, vel pauciora N. T. sacramenta quidam ex ipsis enumerant: denique quòd adiaphoros quosdam ritus in illorum administratione adhiberi, vel omitti posse censent, prout loci, vel temporis, aut aliæ id genus circumstantiæ postulauerint. Reliqua igitur dogmata inter errores deputant, videlicet quæ sequuntur.

Errores Pontif. de hoc loco.

1 *Sacramenta N. T. non modò signa & sigilla sed etiam causæ per se efficientes sunt gratiæ iustificantis: siue gratiam hanc non modò significant & obsignant: sed etiam reipsa in se continent, & hanc*

hominibus ea vsurpantibus verè conferunt. lib.1. c.5. & d.

2 *Finis eorum nequaquam est, promissiones Dei nobis obsignare, vel fidem nostram, aut in nobis confirmare, aut apud alios testatam reddere: sed sanctificationem illam modò dictam nobis reipsa conferre.* lbid ca.14.15.

3 *Constant autem ex rebus siue elementis externis, tanquam materia: & verbis consecratoriis, certis ac determinatis (quæ verbo concionali opponuntur) tanquam forma.* cap.18.& d.

4 *Sacramenta omnia ad salutem Ecclesiæ præcisè necessaria sunt: quædam omnibus omnino, & quidem simpliciter: quædam aliquibus tantum, & certo quodam respectu.* cap.22.

5 *Ad essentiam siue integritatem eorum requiritur ministri, non quidem fides & probitas, sed tamen intentio generalis & seria faciendi id quod Ecclesia facit.* cap.26.27.

6 *Effectus, seu virtus eorum propria est, conferre gratiam iustificantem, hoc est sanctitatem & iustitiam, ex opere operato, hoc est, vi externæ & sacramentalis actionis: & quidē omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis, licèt alioqui vera fide & pietate vacuis: item furiosis, insanis, dormientibus, &c.* lib.2.cap.3. & d.

7 *Differentia Sacramentorum Veteris & Noui Testamenti in eo consistit, quòd illa gratiam iustificantem tantum adumbrabant, hæc verò eandem reipsa in se continent, & sua quadam vi aliis immediatè communicant: vel, quod illa tantum vmbras & figuras: hæc verò ipsum corpus bonorum*

rum spiritualiũ realiter in se habent. lib.c.13.& d.

8 *Quædam N.T. Sacramenta aliam præterea vim in se continent, videlicet imprimendi nobis qualitatem quandam singularem, Christo nos singulariter conformantem, seu characterem, vt vocant, indelebilem, propter quem etiam ipsa nunquam iterari solent: vt sunt Baptismus, Confirmatio & Ordinatio.* lib.c.18.& d.

9 *In Nouo Test. septem sunt Sacramenta proprie sic dicta: videlicet, præter tria illa iam modo dicta, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctio, & Matrimonium.* Ibid.cap.24 & d.

10 *Ceremoniæ receptæ, quæ tum aliæ, tum potissimum in Sacramentis adhibentur, (quarum aliæ in vestitu & ornatu, aliæ in actione & gestu, &c. consistunt) sine gratis peccato omitti non possunt: quum habeant vim etiam spiritualem, & sint pars diuini cultus, adeoque actiones meritoriæ: quas etiam Ecclesia suo iure instituere potest.* Ibid. cap.30.& d.

ANTIDOTVM.

Vide contra hos errores Harm. Confess. sect.12. & 17. Confess. Zanchij, c.14. Lutherum de captiuitate Babylonica, Zuinglium de vera & falsa Religione, & in Confess. ad Carolum 5. Bucerum in censura ordinat. Anglicanæ. cap.2.& d. Chemnitium part.2. examin. Concil. Trident. Calumnum lib.4. Instit. cap.14. & 17. & 19. Valentin. Hellopœum de Sacramentis in genere, Melanchthonem, Martyr. Musculum, Aretium, &c. in locis communibus. tit.

de

de Sacramentis, vel signis sacramentalibus in genere. Vide etiam Confess. Bezæ cap. 4. & 7. & part. 2. quæst. & respons. Item Bulling in decadib. Vrsianum in explicat. catechet & volum. 1. tractat. theolog. Sadeelem contra Burdegalens. &c.

II. PARS.

De Baptismo & Confirmatione: quæ est altera huius Tomi controuersia generalis, 2. item libros continens.

EXtra controuersiam apud nostros sunt non pauca, quæ duobus hisce libris explicantur: puta quæ libro 1. de diuina baptismi institutione, deque eius materia, & salutari vsu: item quæ pro pædobaptismo, aduersus Anabaptistas generatim afferuntur. De fide autem infantum non idem nostri omnes sentiunt: nisi quod plerique actualem & propriam fidem ijs iure denegant. Similiter in confesso apud nostros sunt, quæ lib. 2. de manuum impositione, per quam olim Apostoli credentibus visibilia Spiritus sancti dona conferebant; quæque in confirmandis catechumenis nunc quoque (nisi aliud obstet) indifferēter adhiberi potest ita disseruntur, vt ad commodum sensum trahi possint: puta vt vel ad confirmationem illam Apostolicam, quæ progressu temporis vnà cum donis illis visibilibus cessauit; vel ad exomologesin & receptionem catechumenorum, referantur. &c. Hæc vero dogmata, quæ subijciuntur, Euangelici pro erroneis, & absurdis meritò habent.

Errores Pontificiorum de baptiſmo.

1 *Ad eſſentiam Baptiſmi præcisè requiritur illa ſolennis formula verborum de ſancta Trinitate, quæ in trina merſione, vel aſperſione vulgò adhiberi ſolet, tanquam forma eius eſſentialis.* lib. 1. cap. 3.

2 *Externus aquæ Baptiſmus præcisè & ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius eſt: adeò vt pueri non baptizati omninò æterna morte pereundum ſit: in qua tamen pœnam damni tantum, non etiam ſenſus experiuntur.* Ib. c. 4.

3 *Martyrium & perfecta pœnitentia, baptiſmo prorſus æquipollent, atque inde baptiſmus ſanguinis & flaminis appellantur: eoque etiam merito ſuo, immò & vi operis operati, iuſtificant.* cap. 6.

4 *In caſu neceſſitatis non tantum laicis & fœminis Chriſtianis, ſed & paganis, aliiſque infidelibus, baptizare permiſſum eſt, dummodo formulam verborum ſupra indicatam rectè teneant.* cap. 7.

5 *Infantes ad Baptiſmum oblati partim actu credunt fide aliena, hoc eſt, Eccleſiæ & ſuſceptorum: partim habitum fidei in ipſo baptiſmi actu recens adipiſcuntur.* c. 10. & d.

6 *Effectus Baptiſmi primarius eſt, omne peccatum vi operis operati, ita prorſus abolere, vt quæ reliqua manent in fidelibus prava concupiſcentia, peccatum verum cenſeri non debeat, ſed pœna tantum & cauſa peccati.* c. 12. & d.

7 *Qui poſt acceptum baptiſmum mortaliter*

peccant,

peccant, ijs memoria illius nihil prodest: sed opus habent isti secundi quadam salutis Tabula, videlicet eiusmodi pœnitentia, qua pro peccatis suis ipsi satisfaciant. cap. 18.

8 *Differentia baptismi Iohan. & Apostolorum hæc est, quòd ille nec Sacramentum verè fuit, nec eandem vim et efficaciam, quam iste in peccatis delendis habuit.* c. 20. & d.

9 *Inter alias pædobaptismi ceremonias, decenter & vtiliter, immò necessariò, adhibentur exorcismus, scrutinium, sal, sputum, candida vestis, cerei ardentes, &c. quippe quæ omnia ab Apostolis instituta fuerunt.* cap. 24. & d.

Errores de Confirmatione.

10 *Confirmatio baptizatorum est verum, & proprie dictum N. T. Sacramentum, ab ipsis Apostolis (vt in actis eorum videre est) sæpius administratum.* lib. 2. cap. 2. & d.

11 *Materia eius est chrisma ex oleo & balsamo mixtum, & solenniter ab Episcopo consecratum. Forma verò est in verbis solennibus, quæ in vnctione & signatione peragenda adhibentur.* cap. 8. & d.

12 *Effectus eius est, tum copiosa spiritus suppeditatio contra tentationes Diaboli, maior etiam quàm quæ in Baptismo confertur: tum character indelebilis supradictus.* cap. 11.

13 *Minister eius legitimus est solus Episcopus, aut eius loco suffraganeus, seu vicarius: non autem quilibet pastor, aut Ecclesiæ presbyter.* ca. 12.

ANTIDOTVM.

Contra errores de Baptismo vide Harmon. conf. sect. 13. Conf. Zanchij, c. 15 Lutherum de captiu. Babylon. Bucerum de ordinatione Ecclesiæ Anglicanæ: Caluin. lib. 4. institit. c. 15. & 16. Chemnit part. 1 examin. Melanchth. Martyr. Muscul. Aretium in locis communibus, tit. de Baptismo & Pædobaptismo. Item Bezam in confess. c. 6. & 7. & in quæst. & resp. part. 2. Et Valentin. Hellopœum de Sacramentis in specie. Denique epistolas non paucas Oecolampadij, & Zuinglij lib. 2. epistolarum.

De Confirmatione autem, vide Harm. prædictum sect. 15. Lutherum & Bucerum locis citatis. Caluin. lib. 4. institut c. 19. Chemnit. loco citato. Aretium problem. 65 & 70. Bezam in Confess. cap. 7. &c. Item Martyrem, Muscul. & alios locorum communium Scriptores locis citatis: denique interpres in cap. 8. & 19. Actorum Apostolorum.

III. PARS.

De Eucharistia & Sacrificio Missæ, quæ tertia est huius Tomi controuersia generalis, 6. libris exposita.

PAuca sanè sunt in his libris à Bellarmino tradita, quæ Euangelici communiter admittant: videlicet ea tantum, quæ generaliter passim, & velut obiter attinguntur, de diuina sacræ Cœnæ institutione: item de vera eius materia, & vsu salutari; deque commemoratione,

&

& repræsentatione sacrificij Christi, quæ in ipsa fiat, &c Omnes enim agnoscimus, hoc Sacramentum, ad mortem Domini solenniter in Ecclesia cum gratiarum actione commemorandam, à Christo institutum esse. Nec de externa forma, seu figura & qualitate panis & vini (dummodo ipsa vera sint) nimis curiosè laboramus. Item non nisi ab ijs, qui seipsos explorant, & mysterium huius ritus intelligunt, dignè cœnam hanc celebrari fatemur. Denique de vera præstantia & dignitate, item fructu & efficacia huius sacramenti (si tamen legitimè vlurpetur) nihil quidquam detractum volumus, &c. Interim dolemus, adeo multis magnisque erroribus & abusibus hunc sacrũ ritum ab Antichristo conspurcatum iam olim fuisse, vt ne nunc quidem omnes Euangelici veram, & plenam illius intelligentiam adipisci possint: siquidem non pauci inter eos corporalem Christi præsentiam in ipso pane & vino, & consequenter oralem eiusdem perceptionem, quæ etiam ab impijs & incredulis verè fiat, nimium pertinaciter hucusque defendunt; eoque nomine alios diuersum sentientes exagitant, & pro fratribus agnoscere recusant, &c. Quanquam multi etiam inter illos satis moderati reperiuntur. Et nobis iam satis esse debet, omnes omnino Euangelicos (excepta corporalis præsentiæ quæstione) in omnibus Pontificiorum erroribus, qui statim de hoc Sacramento subiicientur, planè damnandis consentire, tanquam ijs, qui cum ipsa Christi institutione,

cumque multis fidei articulis, & generali Sacramentorum omnium natura manifestè pugnant.

Errores Pontif. de Eucharistia.

1 *Corpus & sanguis Domini verè & substantialiter adsunt in Sacramento Eucharistiæ, ita videlicet, vt sub ipsis speciebus panis & vini, realiter & corporaliter contineantur.* lib. 1. cap. 2. & d.

2 *Christus in tota Concione illa, quam habuit Iohannis 6. non nisi de Eucharistia, deque sacramentali manducatione corporis & potione sanguinis sui perpetuo disserit.* Ib. cap. 5. 6. 7.

3 *Verba institutionis Cœnæ Dominicæ, nempe illa,* Hoc est corpus meum, &c. *iuxta* τὸ ῥητὸν, *hoc est, propriè vti sonant, non autem figuratè seu per tropum, intelligenda sunt: idque ex omnibus circumstantijs institutionis, puta loco, tempore, personis, & rebus subiectis, &c. euidenter apparet.* Ib. cap. 9. 10. 11.

4 *Verum & substantiale Christi corpus ab omnibus communicantibus, quantumuis impijs & incredulis: verè & oraliter manducatur: licèt isti reatum inde sibi contrahant.* Ib. ca. 12. 13.

5 *Tota Christi Ecclesia iam inde à temporibus Apostolorum corporalem hanc Christi præsentiam, & oralem eiusdem perceptionem in hoc Sacramento, constanter credidit: non obstantibus ijs Patribus, qui panem & vinum figuras, signa, symbola, & antitypa corporis & sanguinis Christi vocarunt:*

runt: & multa alia id genus pro diuersa sententia tradiderunt. lib. 2. per totum.

6 *Non est absurdum, nedum Deo impossibile, aut contradictorium, vnum numero corpus pluribus, imò penè infinitis simul locis, verè & substantialiter adesse: item verè & substantialiter in loco aliquo adesse, absque vlla tamen loci occupatione aut adequatione.* lib. 3. c. 1. & d.

7 *Et nobis admodum vtile, & Christo dignum atque honorificum est, ipsum sub elementis mundi adhuc reipsa contineri & corporaliter nobiscum vniri, seu substantiæ nostræ reipsa permisceri.* Ibid. cap. 8. & d.

8 *Panis & vinum in Eucharistia, vi verborum consecrationis, in ipsum corpus & sanguinẽ Domini verè transubstantiantur: accidentibus tantùm remanentibus, & quidem sine proprio subiecto. Atque hæc sola est vera ratio præsentiæ Christi corporalis in hoc sacramento.* Ibid. c. 11. & d.

9 *Eucharistia etiam extra legitimum vsum, siue communionem, quamdiu scil. durant ipsæ species, verum manet sacramentum: & proinde rectè in pyxide vel ciborio asseruatur, & absentibus, vel ægrotis, siue publicè, siue priuatim vt salutis viaticum meritò defertur.* Libr. 4. cap. 1. & d.

10 *Ad essentiam, siue propriam materiam, huius sacramenti omninò requiruntur panis azymus, & vinum aqua temperatum: præsertim quum Christus vtrumque ipse vsurpauerit.* c. 7. & d.

11 *Consecratio eucharistiæ præcisè fieri debet solis illis quinque verbis, quæ Christus in institutione solenniter vsurpauit: quippe quæ formam eius essentialem constituunt, quæque vim peculiarem signa ipsa transubstantiandi in se continent.* Ibidem cap. 12. & d.

12 *Effectus Eucharistiæ proprius est, interna charitatis & diuinæ gratiæ augmentum omnibus digne communicantibus conferre, & quidem vi operis operati* cap. 17.

13 *Effectum hunc ii soli percipere possunt, qui sacerdoti antea peccata sua confessi, & ab eo priuatim absoluti fuerint. Atque hæc sola est legitima nostri probatio, siue ad dignam communionem præparatio.* Ibid. c. 18. & 19.

14 *Communio sub vtraque specie, vt vocant, laicis non modò non necessaria, sed & illicita iam censenda est; postquam scilicet Ecclesia, grauibus de causis, vnam tantùm panis speciem ipsis sufficere debere decreuit.* Ibid. c. 20 & d.

15 *Totus Christus, per naturalem partium omnium concomitantiam, non minus sub vna, quàm sub vtraque specie continetur: nec minus tota huius Sacramenti essentia, totaque eius vtilitas in vna, quàm in vtraque specie percipitur.* cap. 21. & d.

15 *Denique Sacramentum hoc, vbicunque conspicitur, religiosè venerandum, h.e. diuino cultu afficiendum est, tum in templis, tum in publicis priuatisque processionibus: quum reuera nullum aliud suppositum in eo sit, quam ipse Christus filius Dei viuentis.* Ibid. c. 29. 30.

Errores

Errores de Sacrificio Missæ.

1 *In Missa peragitur verum & propriè dictum, h.e. externum & reale sacrificium, quo Christus ipse in sua personæ, per sacerdotem seu ministrum, Deo patri hostia pro peccatis nostris, verè & propriè, sed tamē in cruento modo, offertur, hoc est, sistitur & præsentatur, imò sub speciebus panis & vini immolatur.* lib. 5. c. 5. v d.

2 *Hoc ipsum Sacrificium est unica, aut saltem præcipua ratio, ob quam Christus sacerdos N.T. unicus & æternus, secundum ordinem Melchisedeci, in scripturis appellatur: licèt Apostolus hanc rationem Hebr. 7. ubi typum illum ex professo tractat, non attigerit.* Ibid. c. 6.

3 *Idem hoc sacrificium in agno paschali, aliisq; V.T. victimis iam olim præfiguratum, & passim à Prophetis, præsertim à Malachia, clare prædictum fuit.* lb. c. 7. & d.

4 *Christus ipse omnium primus in institutione S. Cœnæ idem hoc sacrificium Deo Patri suo incruente obtulit: idque deinceps à ministris Ecclesiæ offerri præcepit: prout etiam Apostoli in Actis & alibi id obtulisse dicuntur.* Ibid. c. 11. & d.

5 *Sacrificium Missæ multos habet effectus salutares: & partim quidem est propitiatorium, quatenus per id peccata nostra quotidie expiantur: partim impetratorium, quatenus eius vi beneficia omnis generis, tum corporalia, tum spiritualia, à Deo consequimur.* lib. 6. c. 1 & d.

6 *Prodest hoc sacrificiū omnibus generatim hominibus*

minibus, non modò viuentibus, sed & defunctis in purgatorio degentibus: præsertim si pro ijs nominatim offeratur, h.e. pecuniâ speciatim pro ijs redimatur, sicque ijs applicetur. lb.c.6.& d.

7 Missa etiam rectè pro Sanctis mortuis, licèt in cœlo iam regnantibus, h.e. in eorum honore celebratur: nempe vt tantò promptior & efficacior sit eorum pro nobis apud Deum intercessio: quũ nos alioqui nihil ipsis conferre possimus. lb.c 8.

8 Priuatæ vel solitariæ Missæ, h.e. in quibus fideles non communicant, non tantum verbo Dei consentaneæ, sed & respectu ministri, à quo celebrãtur, itemque fructus siue effectus, qui ad omnes inde redit, verè publicæ dicendæ sunt. c.9.10.

9 Nec necessarium, nec vtile. sed potius indecorum & noxium est, Missam vernaculo sermone celebrari: aut omnia clara voce in ea pronunciari. c.11.12.

10 Ceremoniæ in Missa adhiberi solitæ (quarum bona pars è sacrificijs Leuiticis desumta est) item preces totius canonis, quem sic vocant, valdè piæ, graues, & mysteriis magnis refertæ sunt: nec quicquam in ijs iure culpari potest: licèt alij multa in iis absurda & assystata, quædam etiam impia & blasphema, contineri asserant. c.13.& d.

ANTIDOTVM.

Contra errores de Eucharistia vide Harm. conf. sect. 14. Conf. Zanchii c. 16. Luth. de capt. Babyl. Zuingl. in conf. ad Carol. V. & de vera & falsa Religione. Chemnit part. 2. Exam. Calu. libr. 4. Inst. c.17. item contra VVestphal. & Heshusium: Vide

&

& Melanch. Martyrem, Aretium, Muſculum, &c. in locis de Cœna Domini, Bulling. in decadibus & potiſsimum libr. 2. de origine errorum. Item Bezam in Conf. cap. 4. & 7. & part. 2. quæſt. & reſp. Valent. Hellopœum de Sacram. in ſpecie. Vrſinum in explicat. catechet. & volum. 1. & 2. tractat. Theolog. Sadeelem de ſacramentali, & ſpirituali manducatione: Crellium contra Gregor. de Valent. Philip. Marnix contra Baium: Pezelium in tractat. de Cœna Domini, &c. - Et ſpeciatim de ſententia Patrum vide OEccolampadii librum ad Melanchth. & Petrum Martyrem contra Gardiner. Item Sutliuium & Boxhornium de Euchariſtia, & Philippũ Mornæum de eadem, &c.

Contra Miſſam, vide tum hos ipſos authores, locis modo citatis: tum nominatim OEcolamp. contra Pelargum, lib. 2. epiſt. Caluinum lib. 4. Inſtit. c. 18. & contra Interim adulterogermanum, &c. Bulling. de orig. errorum lib. 2, Sadeelem de vnico Chriſti ſacrificio, & Contra Burdegalenſ. Sobnium tom. 3. ad Pſal. 66. Item Luther. tom. 2. de abroganda Miſſa priuata, & inprimis Mornæum lib. iam dicto, & paſſim alios.

IV. PARS.

De Pœnitentia: quæ quarta eſt generalis controuerſia huius Tomi, 4. libris expoſita. Cui acceſsit appendix de Indulgentiis, *2. libris comprehenſa.*

De Pœnitentia eiuſque partibus.

QVæ in his libris de vera & ſalutari pœnitentia, ſeu conuerſione ad Deum, eiuſq; veris

veris partibus, veroque vsu & necessitate à Bellarmino passim & sparsim disputantur, ea nostri homines minimè repudiant: vt qui pœnitentiam suo loco & ipsi commendare atque vrgere soleant: & non modò seriam cordis contritionem, sed & ingenuam oris confessionem tum apud Deum, tum apud homines, quorum id interest: denique vitæ totius emendationem exigant. Immò cùm de Ecclesiastica pœnitentia eorum, qui abstenti vel excommunicati fuerunt, agitur, tum & publicam coram Ecclesia confessionem, immò & operis externi satisfactionem, ab iis requirere soleat. Vnde etiam, quid de absolutione ministrorum, siue priuata, siue publica, siue ordinaria, siue extraordinaria, nostri sentiant, facilè quilibet intelligere potest. Interim sequentia hæc dogmata, vt falsa & erronea, quædam etiam prorsus Antichristiana, merito reiiciunt.

Errores Pontificii de Pœnitentia.

1 *Pœnitentia est sacramentum. N. T. propriè dictum, & fundatum in potestate clauium, quæ non nisi post Christi resurrectionem ministris Ecclesiæ data est.* lib. 1. c. 8. & d.

2 *Partes eius essentiales sunt, tum actiones pœnitentis, tanquam materia: tum absolutio sacerdotis seu ministri, tanquam forma.* Ibid. 15, 16.

3 *Partes autem materiales sunt, Contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis, non autem vel mortificatio carnis, & viuificati-*

spi-

ſpiritus : vel contritio, fides, & noua obedientia, &c. Ibid. c. 17. & d.

DE CONTRITIONE.

4 *Contritionis ea quantitas ſiue accuratio eſſe debet, vt ſi non intenſiue & extenſiue, ſaltem appretiatiue peccatis ipſis in iudicio Dei æquipolleat.* lib. 2. c. 10. & d.

5 *Contritio eſt cauſa remiſſionis peccatorum, non modò vere & per ſe efficiens, ſed etiam vere meritoria, ſaltem ex congruo.* Ibid. c. 12.

6 *Perfecta contritio tum demum affert remiſſionem peccatorum, ſi votum adſit ſuſcipiendæ abſolutionis ſacerdotalis, eoque & implendæ ſatisfactionis : alioqui præſtare id non poteſt.* Ibid. c. 13. & d.

7 *Imperfecta contritio, ſiue attritio, quæ ex mere ſeruili pœnæ timore oritur, accedente prædicta abſolutione, hominem vere iuſtificat, atque ex attrito perfectè contritum facit.* lib. c. 17. 18.

DE CONFESSIONE.

8 *Priuata ſiue auricularis Confeſsio, qua peccata omnia, præſertim mortalia, cum ſuis circumſtantiis diſtincte, particulatim & clanculum ſacerdoti exponuntur, in N. T. omninò de iure diuino neceſſaria eſt, ad obtinendam remiſſionem peccatorum.* libr. 3. c. 1. & d.

9 *Abſque hac enim fieri nequit, vt miniſtri Eccleſiæ poteſtate clauili, ſibi diuinitus attributa, legi-*

timè

time vtantur. h. e. quenquam qui post Baptismum in peccatum mortale lapsus sit, rite & vtiliter absoluant. Ibid c. 2. & d.

10 *Ministri Ecclesiæ non tantùm publici interuncii, seu testes & præcones gratiæ & iræ diuinæ, sed etiam veri spirituales arbitri & iudices à Christo constituti sunt: ita vt non modo pœnitentes peccatis absolutos nomine Christi declarare: sed & ipsi eos pro sua iudiciaria potestate absoluere & possint & debeant: alioqui nihilo excellentiores alijs priuatis fidelibus hac in parte futuri.* Ibid.

11 *Auricularis confessio omnino est iuris diuini: quippe quæ in vet. T. quidem ab ipso Christo multis modis præfigurata, in N. autem perfectè instituta, & ab eo tempore fidelibus semper visitata fuit: licet plerique Canonistæ & quidam etiã Scholastici Doctores hic acriter reclament.* cap. 3 & d.

DE SATISFACTIONE.

12 *Satisfactio pro peccatis post Baptismum commissis, vera, & proprie dicta, necessariò præstanda est iustitiæ diuinæ, ab iis omnibus, qui plenam peccatorum veniam h. e. culpæ simul & pœnæ adipisci volunt.* libr. 4. c. 1. & d.

13 *Deus enim, etsi pœnitentibus omnem culpam & pœnam æternam, gratis in Christo condonat: temporalem tamen pœnam non nisi acceptabilis vera satisfactione, remittere solet, aut etiam potest.* lb. c. 2. & d.

14 *Temporalis iste reatus verè apud Deum compensari, seu redimi potest, operibus quibusdam laboriosis*

laborioſi, & pœnalibus, ſiue ſponte noſtra ſuſceptis, ſiue à ſacerdote impoſitis: vt ſunt ieiunium, eleemoſyna, precatio, item ſpontanea flagellatio, &c. c.4.& d.

15 *Opera hæc, tum quatenus debita, tum præcipuè quatenus indebita ſunt, ſiquidem ad Deum placandum à nobis ſuſcipiuntur, ac præſtantur, verâ pro peccatis apud Deum ſatisfaciendi virtutem in ſe continent.* c.6.

16. *Et licèt hæc ſatisfactio non proficiſcatur ex propriis rebus noſtris (quæ videlicet Dei non ſint) nec ad æqualitatem iniuriæ Deo factæ accedat: vera tamen & propriè dicta ſatisfactio eſt: quandoquidem accedente Dei gratia, per eam diuinæ iuſtitiæ verè & plenè ſatisfieri ſolet.* c.7.& d.

17 *Neque verò pugnat cum plena & gratuita peccatorũ noſtrorũ per Chriſtũ parta remiſſione; ſed potius ex ea gignitur: quum hæc remiſſio non modò reatum culpæ & pœnæ æternæ tollat, ſed & gratiam benè operandi, hoc eſt merendi, & ſatisfaciendi, nobis præſtet: illa verò ſatisfactio temporalem tantùm reatum, ex condigno quidem, non tamen ſine Dei gratia, per eiusmodi bona opera, quæ vt plurimum indebita ſunt, expungat,* c.12.& d.

DE INDVLGENTIIS.

IN hac appendice nihil ſani reperitur, quod bonâ conſcientiâ probare poſſimus: niſi quòd in genere agnoſcimus, aliquas eſſe veras & ſalutares indulgentias: nempe quas ipſe

Deus

Deus nobis credentibus ac pœnitentibus in Christo largitur, quasq; verbi ministri nomine Christi promulgant, & credentibus seu pœnitentibus ritè applicant: item quas Ecclesia tota solet abstentis vel excommunicatis dare, cùm, pœnitentia eorum probè cognita, ad communionem seu pacem eos recipit, & si quid Ecclesiasticæ mulctæ imposuit, id humaniter ijs remittit. Nam huius generis remissiones, siue relaxationes pœnarum canonicarum, quæ fidei desertoribus, aut alijs grauiter lapsis irrogabantur, indulgentias olim appellatas fuisse, satis inter doctos constat. Vnde progressu temporis aliud indulgentiarum genus enatum est, quod ad interiorum conscientiæ, & iudicium Dei pertinere dicitur, & magnum Pontificibus quæstum attulit: de quo nunc potissimum laboramus. Euangelici igitur hæc sequentia Bellarmini axiomata, tanquam absurda, & partim etiam blasphema prorsus auersantur

---

Errores Pontificij de hoc capite.

1 *Indulgentiæ Pontificiæ sunt iusta relaxatio, siue absolutio à reatu pœnæ temporalis, in foro pœnitentiario debitæ, extra sacramentum pœnitentiæ liberaliter data, per applicationem earum satisfactionum, quæ thesauro Ecclesiæ continentur.* lib. 1. c. 1. & d.

2 *Thesaurus iste Ecclesiæ conflat ex superfluis*

meritis

meritis & passionibus tum Christi; tum Mariæ virginis, & aliorum Sanctorum: quæ alijs indigentibus lib raliter applicari iure possunt, vi communionis illius, quæ inter omnia Ecclesiæ membra perpetuò viget. Ibid c.2. & d.

3 *Quælibet afflictio Christi pro nobis susceptæ siue vnica sanguinis Christi gutta pro nobis effusa, non tantum sufficiens: sed & infinita satisfactio est pro peccatis totius mundi: ac proinde reliquæ omnes Christi passiones, ad procurandam nostri ab æterna morte redemtionem, reuera superfluæ fuerunt.* Ib c.3.4.

4 *Apostoli, Martyres, alijque Sancti, plura propter Deum & bona fecerunt, & mala passi sunt, quam necesse ipsis fuerit ad peccata sua coram Deo expiandum, aut salutem æternam sibijpsis promerendum.* Ibid.

5 *Licet Indulgentia sit absolutio, & nemo nisi à superiore solui aut ligari possit; summus tamen Pontifex illam quoque adipisci potest, quatenus vel ipse seipsum indirecte, vel mediatè per suum Confessarium absoluit &c.c.5.6.*

6 *Indulgentiæ tantum liberant à pœnis canonicis olim ab Ecclesia pro arbitrio definitis: & tamen per eas non Ecclesiæ tantum, sed etiam Deo vere satisfit, & quidem in foro pœnitentiali & interno.* Ibid.c.7.

7 *Recte & sapienter fit, quod indulgentiæ aliàs dantur ad tempus, aliàs in perpetuum: item, aliàs particulares, aliàs plenariæ, quod postremũ in primis soleniter fieri solet in annis Iubilæis, quos Romani Pontifices iustis de causis iam olim sapienter in-*

stitu-

ſtituerunt. c. 9.

8 *Vtiles & quodammodo neceſſariæ ſunt indulgentiæ, non tantum grauibus peccatoribus, ſed & iis, qui in ſtatu perfectionis verſantur, adeoque omni hominum generi: quum per eas multum boni procuretur, & varia perfectæ ſalutis impedimenta tollantur.* c. 10.

9 *Solus Pontifex, vt ſupremus Eccleſiaſtici theſauri diſpenſator, omnis generis indulgentias, & quibuſcunque vult, largiri poteſt: reliqui vero Epiſcopi duntaxat in ſua quiſque diœceſi, & in certo tantum genere, & quantitate* c. 11.

10. *In ſuſcipiente indulgentias duo requiruntur, ſtatus gratiæ, & præſtatio operis alicuius iniuncti, etiam leuiſſimi: quo præſtito ſtatim perficitur illud vulgatum: Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant.* c. 12. 13.

11. *Pontifex etiam mortuis in purgatorio laborantibus iure ſuo indulgentias applicare poſſit, ſed per modum ſuffragij tantum, ſiue ſolutionis non autem per modum iuridicæ abſolutionis* c. 14.

12 *Doctrina hæc de Indulgentijs, nec cum plenaria & gratuita peccatorum remiſſione, nec cum perfecta Chriſti ſatisfactione, nec cum legitimo clauium Eccleſiaſticarum vſu, nec cum vera fide, aut ſanctio pietate, &c. vllo modo pugnat, ſed omnia hæc potius illuſtrat, & paſſim in Scripturis fundata, & ſemper hactenus in Eccleſia Chriſti tradita eſt &c.* libr. 2. per totum.

ANTIDOTVM.

Errores de pœnitentia, eiuſque cauſis & partibus

bus, præsertim de auriculari confessione, & vera coram Dei iudicio satisfactione, refutati sunt in Harm. confess. sect. 8. & 9. in confession. Zanchij c. 18. Item à Luthero in articulis, & de captiuitat. Babylonica, & passim alibi. Vide & Bucerum, Brentium, & alios Interpretes ad caput 3. 16. & 18. &c. in Matth. Item, Caluinum libro 3. Institut. cap. 3. & 4. Beram in Confession. cap. 7. Virum in explicatio. catechet. Chemnitium part. 2 examin. Bullingerum in decadibus part. 4. Melanchthonem. Martyrem, Musculum, Aretium, &c. in locis communibus, titulo de pœnitentia, &c. Sadeelem de vera peccatorum remissione, & contra Burdig. & passim alios.

De Indulgentijs vide tum auctores modo citatos in genere, tum speciatim Luther. tom. 1. De Indulgentijs ad Leon. X. & in disput. contra Eccium, & in defensione articulorum, &c. Caluinum lib. 3. Institut. cap. 5. Bullingerum in decadibus loco cit. P. Martyrem in locis communibus. Class. 3 cap. 9. & in comment. ad 1. Cor. 9. de operibus supererogationis, &c. imprimis autem Chemnitium part. 4 Examin. vbi prolixè & doctè hunc errorem confutat. Vide etiam inter ipsos Scholasticos Durandum, qui sic tuetur Indulgentias, vt interim fundamenta huius doctrinæ subuertat.

V. PARS.

De tribus reliquis Sacramentis: quæ est V. huius Tomi controuersia generalis, tribus libris exposita.

De

De extrema vnctione.

EXtra controuersiam apud Euangelicos est, ægrotos fideles à ministris, vel Senioribus Ecclesiæ visitandos, & ex verbo Dei consolandos, atque aduersus sensum peccati & terrorem mortis probè instruendos esse: quod & praxis eorum satis confirmat. Similiter in confesso apud ipsos est, Apostolos olim in sanandis corporalibus morbis vnctionem olei adhibuisse, & proinde tamdiu hanc merito apud ægrotos vsurpatam fuisse, quamdiu sanationum illa dona viguerunt. Sed ritum hunc sine effectu suo proprio & genuino nunc quoq; velle retinere, aut diuersum illi finem atque vsum affingere, id verò prorsus ineptum & præposterum esse statuunt. Quare hæc subiecta dogmata inter errores meritò recensent.

Errores pontificij de hoc capite.

1 *Vnctio hæc, quæ Christianis iamiam morituris, potissimum ad remissionem peccatorum, confertur, est verum & perpetuum N.T. sacramentum, ab ipso Christo institutum.* lib. 1. c. 2. & d.

2 *Vnctio illa ab Apostolis vsurpata, cuius Marcus meminit cap. 6. non nisi figura quædam fuit huius extremæ vnctionis, quæ à Iacobo cap. 5. nobis commendatur.* c. 3.

3 *Materia eius est oleum oliuæ, ab Episcopo benedictum: forma vero est in verbis solennibus*

qua

quæ inter vngendum à ministro pronuntiantur. c. 7.

4 *Effectus eius est duplex: tum sanatio corporis, si ad salutem ita expediat: tum absersio reliquiarum peccati, quæ post alia sacramenta, iam antea percepta, remanere solent.* c. 8.

5 *Ministri eius legitimi sunt soli consecrati sacerdotes, h. e. ab Episcopis rasi & vncti; non autem quilibet Ecclesiæ ministri, vel seniores.* c. 9.

6 *Sacerdotes hanc vnctionem, ex Apostolorum instituto, non nisi adultis, iam confessis & absolutis, deque vita plane desperantibus, siue in agone versantibus, administrare debent.* Ibidem.

7 *Ceremoniæ eius sunt: vt recitatis prius litanijs aliisque precibus, vel septem, vel potius quinque corporis partes vngantur, quæ videlicet organa vel sedes sunt, 5 sensuum, per quos omnis generis peccata committi solent.* c. 10.

De Ordinatione.

IN confesso est, apud Euangelicos, in ordinandis Verbi ministris adhibitam olim fuisse manuum impositionem, vnà cum precibus solennibus, & eandem nunc quoque vtiliter adhiberi posse, si absit superstitio: quemadmodum etiam passim in Ecclesijs reformatis adhibetur. Interim etiam sine hoc ritu ordinationem non minus sanctam & legitimam fieri posse statuunt: & præterea varios abusus, qui progressu temporis

in

in hunc ritum irrepſerunt, omninò damnan
Cuiuſmodi ſunt ea quæ ſequuntur.

Errores Pontificij de hoc loco.

1 *Ordo ſeu ordinatio miniſtrorũ, eſt & ipſa ve*
rum & propriè dictum N. T. ſacramentum, ab ip
ſo Chriſto primò omnium inſtitutum. lib. 2. cap. 1.
& d.

2 *Fundamentum eius eſt poteſtas remitte*
di peccata, quæ ſolis miniſtris N. T. propriè com
nit, & propter quam rectè exercendam, grat
quædam ſpiritualis ac iuſtificans vis in ordinatio
ipſa conferri ſolet. c. 7. & d.

3 *Etſi ſeptem ſunt diuerſi miniſtrorum ord*
nes, & ſinguli ſeorſim vera ſacramenta ſunt; qu
tamen ad vnum finem omnes referuntur; idcir
vnum tantum reuera ordinis ſacramentum con
ſtituunt. c. 5. & d.

4 *Materia in hoc ſacramento duplex eſt: tu*
manuum Epiſcopalium impoſitio: tum inſtrume
torum (puta libri, patinæ, baculi paſtoralis, &c
traditio: Forma verò eſt in verbis ſolennibus, qu
inter ordinandum à miniſtro adhibentur. c. 9.

5 *Effectus item duplex eſt; tum collatio grat*
iuſtificantis, ad poteſtatem clauium rectè exerc
dam: tum impreſſio characteris indelebilis, qui p
teſtatem ſupradictam deſignat. c. 10.

6 *Miniſter eius legitimus eſt ſolus Epiſcop*
Vel eius vicarius, ſiue ſuffraganeus; non autem q
libet Eccleſiæ paſtor, aut presbyter. c. 11.

7 Cer-

7 *Ceremoniæ inter alias sunt, vnctio & rasura: quæ cùm ex Apostolorum instituto adhibeantur, sine graui culpa omitti non possunt.* cap. 12.

DE MATRIMONIO.

EXtra controuersiam est apud Euangelicos, matrimonium, præsertim fidelium, esse vitæ statum Deo probatum, & quandam velut effigiem, siue imaginem arctissimæ illius coniunctionis, quæ est inter sponsum Christum & sponsam Ecclesiam. Agnoscunt etiam, polygamiam propriè dictam, Christianis esse illicitam: & diuortia non nisi in casu adulterij, aut malitiosæ desertionis esse permissa. Denique fatentur, quosdam esse consanguinitatis, & affinitatis gradus, in quibus coniugia iure diuino prohibita sunt: item alia quædam impedimenta esse coniugiorum, vel omnino & simpliciter dirimentia, vt loquuntur, vel tantum contrahi prohibentia: quæ tum ex verbo Dei, tum ex iure gentium, & ciuili facilè quiuis obseruare possit, &c. Hæc verò, quæ sequuntur, Pontificiorum dogmata, vt planè falsa, & partim omninò Antichristiana, meritò reijciunt.

Errores Pontif. de hoc capite.

1 *Matrimonium inter fideles contractum, est omninò Sacramentum N. T. propriè dictum: licèt omnes ferè Canonistæ, & quidam etiam Scholastici*

criter reclamet. lib.3. cap.1. & d.

2 *Fundamentum eius est, tum necessario fidelium monogamia, tum absoluta coniugij indissolubilitas quæ Christi arctissimam coniunctionem cum vnica vel sola Ecclesia significat, & velut ad viuum exprimit: & propterea gratiam iustificantem necessario secum trahit.* c.7. & d.

3 *Materia huius Sacramenti, sunt non tam personæ contrahentes, quam verba consensum exprimentia, quatenus determinantur ab altero coniuge: Forma vero sunt eadem verba, quatenus aliquid ipsa determinant* cap.6.

4 *Etsi polygamia successiua Christianis per se licita est: tamen quia perfectio Sacramenti in ea desideratur, à sacerdote benedicenda non est: licet aliàs hæc benedictio (contrà quàm alij Dd. sentiunt) non sit de matrimonij essentia.* ca.9.

5 *Coniugium infidelium, cum non sit verum sacramentum, solui potest etiam quoad vinculum: idque etiam extra casum adulterij, aut desertionis: nempe, si alter eorum ad fidem conuersus, alteri quantumuis volenti & cupienti, amplius cohabitare nolit.* c.12.

6 *Coniugium fidelium ratum (sed per copulam carnalem nondum consummatum) per ingressum in religionem, id est, vitam monasticam, etiam inuito altero coniuge, prorsus dissoluitur, idque iure diuino.* c.13.

7 *Coniugium fidelium ratum simul & consummatum solui quidem interdum iure potest, sed dunt taxat, quoad thorum & cohabitationem: idque variis de causis, videlicet vel ad suscipiendum mo-*

monachatum ex mutuo consensu, vel ad declinandam hæresin alterius coniugis, etiam inuiti, &c. c.14.

8 *Idem coniugium consummatum, prorsus insolubile est, quoad vinculum, etiamsi alter coniugum adulterio se polluat, aut alterum malitiosè deserat: & proinde non licet parti innocenti, quamdiu pars altera viuit, ad nouas nuptias aspirare.* cap.15.& d.

9 *Consensus parentum, aut eorum, quorum potestati contrahentes subiacent, non est de necessitate coniugij, sed tantum de honestate, ac proinde rata sunt coniugia liberorum, inscijs & inuitis parentibus contracta.* c.19.20.

10 *Inter legitimas causas matrimonium simpliciter contrahi prohibentes, & contractum dissoluentes, rectè ponitur votum continentiæ, disparitas religionis, cognatio spiritualis, & legalis, & similes aliæ.* ca.21.& d.

11 *Pontifex Romanus in omnibus & consanguinitatis & affinitatis gradibus, excepto solo primo, dispensare potest: non obstante lege diuina, plures gradus prohibente. Leuit.*18. *&c.* Ibid. c.27. & 28.

12 *Coniugia olim vsque ad 7. nunc autem vsq; ad 4. consanguinitatis gradum (iuxta iuris canonici supputationem) in linea collaterali recte ab Ecclesia prohibentur: licèt ius diuinum pariter & ciuile aliter hac de re statuat.* lb.c.29.

13 *Causæ matrimoniales (etiam quod ad gradus cognationis, diuortia, impedimenta, & similes controuersias attinet) ad iudicium merè Eccle-*

ſiaſticum omnino pertinent, eoque à politico magiſtratu tractandæ non ſunt. cap. 32.

ANTIDOTVM.

Aduerſus errores de extr. Vnctione, vide Harm. Conf. ſect. 19. Conf. Zanch. cap. 25. Luth. de captiu. Babyl. Calu. l. 4. Inſt. cap. 19. Bez. in conf. cap. 7. Bucer. in cenſ. ordinat. Angl. Chemnit. part. 2. Exam. Melanchth. Martyr. Muſcul. Aret. &c. in locis tit. de extrema vnctione, aut de viſitatione ægrotorum, &c.

De Ordinatione Miniſtrorum, vide Harm. conf. ſect. 11. Luth. Caluin. Chemnit. locis citatis, Melancht. Martyr. Muſcul. Aret. &c. in locis tit. de miniſtris Eccleſiæ, deq; manuum impoſitione, &c. Vide & Luth. tom. 2. de inſtituendis Eccleſiæ miniſtris ad Senatum Pragenſ. Item Bucer. de legit. ordinatione reducenda, & de regno Chriſti lib. 1. & 2. paſſim.

De Matrimonio, diuortio, polygamia, &c. vide Harm. conf. ſect. 18. Eraſmum in annotat. ad 1. Cor. 7. &c. Luth. Caluin Chemnit. loco citat. Melancht. & Aretium in Examine ordinandorum: item eoſdem, vti & Martyrem, & Muſculum, &c. in locis com. tit. de Matrimonio, ſeu coniugio, &c. Vide etiam Zanch de operibus Dei, par. 2. l. 4. c. 1, 2, 3, vbi prolixè hec materia tractatur: item Bezam de Polygamia, deque repudijs & diuortijs: & Brent. de cauſis matrimonij: & inprimis Bucerum lib. 2. de regno Chriſti, cap. 15. & ſeq. vſque ad 48.

Ex Tomo quarto.

PARS I.

De statu hominis ante lapsum: quæ est prima huius Tomi controuersia, vnico libro contenta.

MVlta tradit hoc libro Bellarminus, quæ si rem ipsam, omissa logomachia, spectes, facile ab omnibus Euangelicis admittuntur: videlicet, quæ passim contra Pelagianos, de triplici hominis fœlicitate in Paradiso, differit: nempe animæ, corporis, & loci siue habitaculi: hoc est, quæ tum de originali eius iustitia, tum de eiusdem immortalitate (quæ vtraque supernaturalis in ipso fuerit) denique quæ de veritate terrestris Paradisi, & arborum 2. memorabilium, quæ ibidem fuisse dicuntur: item Cherubinorum siue angelorum, qui postea illic collocati fuerunt, &c. aduersus eos disputat, qui totam historiam illam in allegorias transformant, &c. Interim non desunt alia quædam, etsi non adeo magni momenti errata, quæ minimè approbare possumus, verbi gratia, hæc quæ sequuntur.

Errores Pontif. de hoc capite.

1 *Imago Dei ad quam homo conditus esse dicitur, prorsus est homini naturalis, siue essentialis: similitudo autem accidentaria tantum & supernaturalis: licet hæc duo in Scripturis idem prorsus*

eſſe videantur. cap. 2.

2 *Originalis iuſtitia, quæ nomine iſtius ſimilitudinis intelligitur, in primo homine adeo perfecta fuit, vt is non habuerit opus ſpeciali Dei gratia, ad conſtanter bene agendum, aut peccata perpetuo vitandum.* c. 3. 4.

3 *Iuſtitia hæc adeo non poteſt dici homini fuiſſe naturalis, vt etiam contrarium eius (videlicet rebellio carnis aduerſus ſpiritum) ab ipſa hominis natura, prout in ſe pure ſpectatur, dependeat.* c. 5. 6, 7.

4 *Adimus niſi peccaſſet, vnà cum ſuis omnibus poſteris, nunquam mori potuiſſet: nec tamen immortalitas vllo modo ei naturalis fuiſſe dici poteſt; ſed mere accidentaria & ſupernaturalis.* cap. 8. 9.

5 *Locus Paradiſi terreſtris vbinam terrarum fuerit, aut etiam nunc ſit à nemine mortalium ſciri poteſt: & nominatim falſum eſt, in illa parte Syriæ fuiſſe, in qua teſtibus hiſtoricis, Euphrates etiam nunc fluit.* c. 12. 13.

6 *Idem Paradiſus verè adhuc ſupereſt talis, qualis olim ante lapſum fuit: quippe in quo Enoch & Elias corporaliter etiã nunc degant: vt tempore Antichriſti inde in orbem terrarum prodeant.* cap. 14.

7 *Arbor vitæ vel ſemel tantum guſtata, perfectam immortalitatem hominibus offerre poterat; atque inde nomen hoc adepta fuit.* cap. 1. & 19.

ANTI-

ANTIDOTVM.

De hac materia vide Harmon. confeſſ. ſect. 3. confeß. Zanchy c. 5. Comment. Lutheri, Caluini, Muſculi, &c. in Geneſ. ad c. 1. & 2. & 3. item Protect. ſtum Iunij. Caluin lib. 1. Inſtit. c. 15. Melanchthonem, Martyrem, Muſcul. Aretium, &c. in locis communibus tit. de Creatione hominis, deque imagine Dei; item Viſin. vol. 1. tract. theolog. & in explic. catechet. Inprimis verò Zanch. de operibus Dei, part. 3. lib. 1. & 2. & 3. totis, vbi prolixè de his rebus diſſerit. Vide & Vadianum in Geograp. & Beroald. in Chronico de Paradiſo. Adde et Pererium in Geneſin. qui non raro hic à Bellarmino diſſentit.

II. PARS.

De amiſſione gratiæ, ſeu ſtatu peccati & miſeriæ: quæ 2. iſti huius Tomi controuerſia, 6. lib. expoſita.

MVlta etiam in his libris à Bellarmino diſputantur, quæ apud Euangelicos minimè controuerſa ſunt: nempe quę lib. 1. generatim de peccati natura & diſtinctione: item quę lib. 2. de prima peccati cauſa ſic diſſeruntur, vt Deum peccati auctorem non eſſe oſtendatur (licet ibidem contraria blaſphemia, per ſummam calumniam, noſtris hominibus imputetur) prętereà quę libro tertio de circumſtantijs quibuſdam primi peccati in Paradiſo commiſſi: denique quę libro 4. 5. 6.

pro existentia & vera ratione, itemque vera pœna peccati originalis, aduersus Pelagianos, Flacianos, & similes alios ita traduntur, vt facilè ad commodum sensum trahi possint. Etsi enim non omnes Euangelici æquè prudenter & accuratè de his quæstionibus disserere solent: omnes tamen (exceptis ijs qui Flacium sequuntur, quorum pauci aut nulli iam supersunt) in his & similibus capitibus consentiunt: Peccatum non à Deo, sed à libero hominis arbitrio, & Diaboli suggestione pendere: & tamen etiam Dei prouidentiam, seu voluntatem aliquam non modo permittentem, sed etiam ordinantem ac dirigentem, hic interuenire: item peccata minimè paria esse, prout erat opinio Stoicorum, sed multis specialibus modis & gradibus inter se differre: adhæc, peccatum originis in omnibus naturalibus Adami posteris verè hærere, nec tamen ad substantiam hominis quidquam pertinere: denique hoc ipsum peccatum omninò pernicioſum esse, ac generalem planè reatum, & calamitatem multiplicem secum trahere &c. Interim hæc sequentia Bellarmini placita, nostri homines inter errores & hæreses meritò numerare solent.

Errores Pontificij de Peccato in genere.

1 *Distinctio peccati in mortale & veniale non,*

non ex distinctione hominum peccantium, qualiscunque tandem ea sit: sed ex ipsa peccatorum natura, simpliciter æstimanda est: quippe quorum multa sunt adeo parua & leuia, vt per se reatum mortis æternæ non attrahant. lib. 1. c. 3. & d.

2 Peccata etiam grauissima, & conscientiam plane vastantia, cum vera fide in Christum bene consistere possunt: eoque peccata fidelium venialia dici non possunt. Ibid. c. 7. 8.

3 Venialia peccata non sunt proprie contra legem aut charitatem Dei, nec perfect. simpliciterq; peccata sunt: sed tantum charitatis actum & feruorem nonnihil impediunt: & proinde, ne quidem admodum multiplicata, damnare nos possunt. cap. 11. & d.

4 Deum peccati auctorem primarium, imò vnicum constituunt, qui peccata ab eo non tantum præsciri, aut otiosè permitti: sed certo consilio & decreto dirigi, & ad bonum finem ordinari, item ad pœnam quandoque singulariter immitti, &c. qui denique omnes impiorum actiones efficaciter à Deo gubernari docent. lib. 2. c. 2. & d.

5 Quoties Deus in Scriptura dicitur homines indurare, excæcare, in reprobam mentem tradere, decipere, infatuare, eorumque opera ad exequendum iustissima iræ suæ iudicia abuti, &c. toties ineffica quædam ipsius permissio, aut otiosa & nuda desertio significatur: nulla autem vera Dei operatio siue efficax actio, vel interna, vel externa, hic interuenire docetur. Ibid. c. 11. & d.

6 Deus certo consilio permisit primos homines à Diabolo tentari: eique tentationi prorsus illos

succubituros, & certò tandem peccaturos, cui dum ter præscibat, nempe, vt sic potentiam, iustitiam & bonitatem suam illustrius patefaceret, &c. Et tanè falsum est, lapsum illorum aliquatenus à Deo decretum, aut aliquo Dei consilio definitum ac præordinatum fuisse. libr. 3. cap. 2. & d. *Confer.* lib. 2. c. 17.

Errores de peccato originis.

7 *Peccatum originale, quod ex Adamo in omnes homines naturaliter propagatur, est veri nominis, seu propriè dictum peccatum: non tamen est factum, aut dictum, aut concupitum aliquod voluntarium, prout peccatum proprièdictum in genere definiri debet.* lib. 4. c. 3. & d. *Confer supra.* lib 1. c. 1 & d.

8 *Non modò certum, sed & necessariò tanquam dogma catholicum, credendum est, animas humanas non oriri ex traduce: sed immediatè Deo ex nihilo creari, & sic corporibus humanis suo tempore infundi,* &c. Ibid. c. 11.

9 *Virgo Maria absque peccato originali concepta est; nec peccatum vllum actuale vnquam vtrè admisit: & tamen opus habuit remissione peccatorum, videlicet non in quæ incideret, sed in qua incidisset, nisi à Christi gratia iam inde ab initio præuenta fuisset.* c. 15. 16.

10 *Concupiscentia prauа, quæ præsertim post Baptismum remanet, nec ad peccatum originis quidquam pertinet, nec vllo modo peccatum aut est, aut proprie appellari potest.* lib. 5. c. 5. & d.

11 Pecca-

11 *Peccatum inhabitans, de quo Rom. 7. agitur, non nisi tropice, h.e. metonymicè ab Apostolo peccatum dicitur: quia videlicet fomes & pœna, h.e. causa & effectus est peccati. c. 10.*

12 *Quoniam peccati originalis præcipua pœna est mors æterna, eaque non nisi per sacramenta tolli potest, sequitur, omnes paruulos non baptizatos pœnam illam necessariò subire: non tamen nisi mitissimum dolorem animi, præter pœnam damni, sentire.* &c lib 6. c. 2. & d.

13 *Omnes huius vitæ morbi, dolores & calamitates, sunt veræ & propriæ peccati pœnæ: & tamen multæ ex iis sunt, quæ per se necessariò ex principiis naturæ fluunt.* & c. Ibid. c. 8 & d.

ANTIDOTVM.

Contra superiores errores, tum de peccato in genere tum in specie de peccato originis, vide Harm. conf. sect 3. & 4. conf. Zanch. cap. 6. & 7. & de nat. Dei li. 5 ca. 1. & lib. 3. Miscel c. 1. & d. item Chemnit. part 1. exam de peccato originis, Calu. l. 2. inst. cap. 1 8 & l. 1. c. 1 & d. Bezam in Conf 6. 3. & par. 1. in quæst & resp Vrsinum in explicat. catechet. & vol. 1. tract. theol item locos communes Melancht. Martyris, Musc. Aretii, &c. tit. de peccato, item de prouidentia Dei. Vide etiam Zuingl. de peccato originis ad Vrb. Reg. & pro illo Apologiam Rod. Gualteri. &c. item Bullinger. in decad. part. 3. Sohnium tom. 2. de peccato in genere, eiusque causa & de peccato originis: Sadeelem contra Burdegal. Vict. Strigel. Contra Flacium, & passim alios.

Nomi-

Nominatim verò contra calumniam de peccati auctore Deo, vide loca ab ipso Bellarmino citata ex Zuinglio, Bucero, Caluino, Martyre, Beza &c. Et, vt rectius intelligas phrases quasdam illorum duriusculas (quas non omninò excusamus) confer disputationem Fr. Iunij de peccato Adami, item Franc. Gomari conclus. doctrinæ de Prouidentia, &c.

III PARS.

De Gratia Dei, & libero hominis arbitrio: quæ est 3ª huius Tomi controuersia generalis, sint huius tertiæ prima principalis, 6. item libris expositæ.

EXtra controuersiam apud nostros sunt, quæ Bellarminus hîc libr. 1. De natura & varietate gratiæ diuinæ, generatim disserit: item, quæ libro 2. De sufficiente auxilio, quod communiter omnibus, suo loco & tempore præstari solet: deque principali causa, & ratione diuinæ prædestinationis, contra Pelagianam meritorum nostrorum præuisionem, in medium affert: Præterea quæ libro 3. de quibusdam conditionibus & proprietatibus liberi arbitrij Philosophico more & ratione disserit: denique quæ lib. 4. 5. 6. pro naturali arbitrii libertate, contrà Stoicam & Manichæam necessitatem: & vicissim pro efficacia, proque necessitate gratiæ diuinæ (præsertim in operibus salutaribus) aduersus supra dictos Pela-

Belgianos in medium adducit. Sunt tamen alia eiusdem nec pauca, nec minimi momenti axiomata, in quibus vel ipse sibi tacite contradicit, vel alioqui non leuiter cum verbo Dei aut recta ratione pugnat: quæ iam ex ordine subijcientur.

Errores de Gratia & Prædestinatione Dei.

1 *Gratia Dei, maximè propriè accepta, non modò supernaturalis est atque indebita, sed etiam indignis & peccatoribus tantum contingit. Et tamen rectè quædam gratia subsequens, & cooperans dicitur: qua tantum conuersis, & iustificatis, seu filiis Dei iam reipsa sanctificatis, ac proinde dignis contingit.* lib. 1. c. 1. & 2.

2 *Gratia gratum faciens seu iustificans, non est propriè fauor, seu benenolentia & misericordia Dei: sed habitualis diuina qualitas, siue sanctitas quædam nobis inhærens, cuius vi & respectu, imo merito, nos à Deo diligimur.* Ibid. cap. 3. & d.

3 *Eadem gratia reipsa nihil differt à passiua Dei charitate, videlicet qua nos Deum diligimus: non autem est charitas Dei actiua, qua videlicet ipse nos in Christo diligit.* c. 6. & d.

4 *Gratia efficax, quatenus est talis, non pendet ab assensu, & cooperatione nostra: sed à secreta Dei persuasione, & commoda attractione: & tamen nihil operatur in nobis sine nobis, h. e. sine consensu & cooperatione nostra.* c. 12 & d.

5 *Etsi Deus gratiam suam ex mero beneplacito*

cito liberè & inæqualiter hominibus largitur, & iuste etiam sufficiens speciale auxilium omnibus denegare possit: nemo tamen ex hac gratiæ defectu, vere peccare, aut coram Deo peccati reus esse possit, lib. 2. c. 12. & d.

6 *In ordine diuinæ prædestinationis præscientia prior est decreto: & in illa potius, quàm in hoc ratio atque essentia prædestinationis consistit: nec tamen vlla eiusdem ratio, aut causa efficiens in Deo reperiri potest.* Ibid c. 9. & d.

7 *Deus non tantum ad gratiam, sed etiam ad gloriam æternam, liberaliter & planè gratis electos suos prædestinauit: & tamen neminem elegit ad gloriam, nisi ex præuisione meritorum, seu bonorum operum &c.* c. 14. 15.

Errores de libero hominis arbitrio.

8 *Liberum arbitrium non tantùm à coactione, sed ab omni etiã alia necessitate planè liberum esse oportet: & tamẽ ab vltimo iudicio practicæ rationis necessario determinatur.* lib. 3. c. 5 & d.

9 *Idem liberum arbitrium est potentia simpliciter & absolutè actiua, nullo autem modo passiua: & tamen non modo à prædicto iudicio practico, sed etiam à Dei gratia, item variis obiectis, passionibus & tentationibus, variè mouetur atque afficitur.* Ibid c. 10. 11.

10 *Idem arbitrium non tantum ad futura, sed etiam ad præsentia liberum est: licèt hæc omnino necessaria sint, & sub consultationem non magis, quàm præterita, cadere possint.* c. 13.

11 *Liberum arbitrium non sine contradictione*

eidem

eidem homini tribui & adimi, nec sine insigni temeritate seruum dici potest: quomodocunque etiam phrases istæ explicentur lib 4.c.5 & 6.

12 Ad omnes actiones naturales ac ciuiles abunde sufficit generale Dei auxilium, quo creaturæ omnes aguntur ac mouentur: & tamen multæ earum sine speciali gratia, seu diuina nostræ voluntatis inclinatione, præstari non possunt c.4. & 11.

13 Præscientia Dei, licet omnino infallibilis sit, & decretum voluntatis æternum atque absolutum præsupponat: tamen nec per se, nec respectu huius præsuppositi decreti, cum libero hominis arbitrio supra definito reuera pugnat, &c.c.13.& d.

14 Etsi res incomprehensibilis est, quomodo Deus futura contingentia, h.e. liberas actiones nostras, certo prænoscat: & præterea voluntas nostra adeo libera est, vt positis omnibus ad agendū requisitis, adhuc per naturam indifferens sit: tamen in hac sola, tanquam vera & propria causa Deus actiones nostras, tum bonas, tum malas, certo & infallibiliter præuidet. c 15.

15 Ad cognoscendam veritatem moralem, cum suis omnibus circumstantiis (quenam videlicet opera à Deo nobis præcepta, & quomodo rite implenda sint) non requiritur aliquod speciale Dei auxilium, sed generalis motio illa supra dicta plane sufficit. lib 5.c.2 & d.

16 Homines vondum renati, solis naturæ viribus, absque speciali Dei auxilio, bonum morale ita perficere possunt, vt in eo nullum omnino peccatum admittant: modo nulla grauiore tentatio-

nis

tione vrgeantur. Ex quo etiam efficitur, totam Dei legem, absque auxilio gratiæ, quoad substantiam actionis, ab hominibus, rectè ac perfectè seruari posse. Ibid. c. 9. & d.

17 Nisi hominis arbitrium hoc modo liberum sit in actionibus moralibus: tum nec virtuti, nec vitio: nec præmijs, nec pœnis: nec consilijs nec hortationibus nec promissis, nec præceptis, &c. locus vllus relinquetur. c. 14. & d.

18 Etsi in actionibus spiritualibus (puta, vera fide, salutari conuersione, & sincero cultu Dei &c.) nihil omninò potest hominis arbitrium absque speciali gratia Dei: tamen illud passiue vnquam se habere, male & temere asseritur. lib. 6. c. 2. & d. Item c. 9. & d.

19 Quoties synergi, vel cooperarii Dei in S. literis vocamur, aut in operibus pietatis à Deo iuuari dicimur, aut facultas Deo obtemperandi nobis tribuitur, &c. toties propria facultas arbitrij nostri, quam videlicet ex se & natura sua, non autem ex Dei gratia habeat, in hoc operum genere asseritur. Ibid c. 10. & d.

20 Si nulla in hoc actionum genere esset propria nostri arbitrij, nondum etiã sanati, facultas: nec peccarent, qui hæc opera negligunt, nec qui faciunt, laude & præmio digni essent: fruſtraque essent præcepta, consilia, exempla, & hortamenta omnia huc spectantia, &c. c. 12 & d.

21 Licet homo nondum renatus, non nisi remtam potentiam ad opera pietatis à natura habeat, & proinde ante gratiæ excitantis aduentum, nihil omninò in his operibus ex se ipso efficere possit: tamen

tamen & conuersio ad Deum semper est in potestate arbitrij nostri: nec ipsa etiam prima, id est, excitans gratia, sine actione ac præparatione nostra, nobis datur, &c. Ibid. cap. 15.

ANTIDOTVM.

De hac materia gratiæ ac prædestinationis diuinæ, & liberi arbitrij nostri, vide Harmon. confess. sect. 4. & 5. & 8. Confess. Zanchij cap. 3. & 8. & De nat. Dei lib. 1. cap. 2. & 3. & libr. 3. Miscel. c. 2. & d. vbi de prædest. &c. agit. item Lutherum de seruo arbitrio cum notis D. Kimedoncij. Chemnit. part. 1. examinis. Caluin. libro 2. institut. cap. 3. & d. & lib. 3. cap. 21. & d. item in Antidoto conc. Trident. & contra Pighium de prædestinat. & libero arbitrio: Bezam in confess. c. 3. & 4. & 7. & part. 1. quæst. & resp. Vide etiam locos communes Melanch. Martyris, Musculi, Aretij, &c. tit. de libero hominis arbitrio, deque gratia & prædestinat. Dei &c. item Vrsin. in explicat. catechet. & volum. 1. tractat. theol. Sohnium tom. 2. de libero arbitrio, & prædestinatione, Bullingerum in decadibus. Buccerum in colloquio Ratisbonensi, & in disputat. contra Iungum, &c. item Franciscum Junium de natura & gratia contra Puccium: Sadeelem contra Burdegalenses & passim alios.

IV.

IV. PARS.

De Iustificatione hominis coram Deo, deque Fide & bonis operibus: quæ est IV. huius Tomi controuersia generalis, siue altera principalis, quinque libris pertractata.

EXtra controuersiam apud nostros habetur, quæ pro vera necessitate veræ in Christum fidei, item pœnitentiæ & bonorum operum, veraque libertate Christiana, & veri differentia V. & N. T. contra Antinomos, & similes alios à Bellarmino lib. 1. & 4. disseruntur itéque de liberali mercede seu remuneratione pietatis nostræ, tum in hoc tum in futuro seculo nobis à Deo promissa, lib. 5. passim traduntur, imò & illa (si commode explicentur) quæ lib. 1 & 2. & 3. contra solius fidei, id est, eius quæ solitaria, & reipsa à bonis operibus seiuncta est, iustificationem; deque necessitate, veritate, mutabilitate, & inæqualitate iustitiæ inhærentis, in medium adducuntur. Etsi enim Euangelicorum eorum quidam (præsertim circa initia horum certaminum) quasdam huius loci quæstiones, maximè quæ sunt de forma iustificationis, non satis commodè explicarunt; & nunc quoque de iustitiæ Christi imputatione, deq; certitudine finalis perseuerantiæ, &c. nonulla inter quosdam controuersia viget: omnes tamen in eo con-

consentiunt : iustificari nos coram Deo gratis, absque meritis nostrorum operum : per solam quidem, sed tamen viuam & veram fidem in Christum : quæ videlicet misericordiam Dei, in Christo nobis peccata condonantem, ita apprehendat, vt simul etiam per charitatem efficax sit, hoc est, bona opera, tanquam necessarios fructus, ex sese pariat, &c. Vnde reliqua illa, quæ de necessitate, veritate, inæqualitate, item efficacitate, seu præmio & remuneratione bonorum operum iam diximus, sua sponte consequuntur. Interim ijdem Euangelici multa & grauia Pontificiorum errata, seu falsa dogmata in hoc argumento quod latè admodum patet, iustissimè damnant: cuius modi sunt hæc sequentia.

Errores Pontificij de Iustificatione, item fide & bonis operibus.

1 *Fides iustificans, neq; est fiducia in Deo per Christum collocata; neq; vera aliqua rerũ diuinarũ notitia : sed simplex seu merus ac generalis verbi diuini assensus, non in corde, sed in solo hominis intellectu hærens.* lib. 1. c. 4. & d.

2 *Proprium fidei iustificantis (quà talis) obiectum, est totum Dei verbum, siue quælibet Dei reuelat o: non autem promissio gratiæ in Euãgelio nobis potissimum patefactæ.* lb c. 8. & d.

3 *Non sola in Christum fide iustificamur coram Deo; sed & aliis virtutibus seu actionibus pijs, videlicet*

videlicet quatenus per eas ad iustificationem præparamur, immò iustitiam apud Deum ex congruo meremur. Ibid. c. 12. & d.

4 Vera & iustificans fides reipsa separari potest à charitate & spe salutifica, aliisque virtutibus Christianis: imò cum omnis generis peccatis & flagitijs benè consistere potest. c. 15. & 19.

5 Dum Scripturæ docent, nos iustificari fide absque operibus legis, aut iustitiam nobis imputari absque operibus, &c. tum vel cæremonialia duntaxat, non autem moralia: vel potiùs antecedentia tantum opera, hoc est quæ vi naturæ, seu liberi arbitrij, citra Dei gratiam facimus, non autem sequentia, intelligenda sunt. c. 16.

6 Cum fide iustificari dicimur, id absolutè de ipsa fidei dignitate & merito, cuius vi fides ipsa nos ad iustitiam præparat, adeoque etiam iustificat: non autem relatiuè de gratia Dei, quam fides in Christo apprehendat, & sibi applicet, intelligendum est. c. 17.

7 Fides non modò radix & initium iustificationis est, sed etiam pars causæ formalis hoc est iustitiam illam, qua coram Deo nitimur: verè & per se, saltem ex parte, continet ac constituit. c. 18.

8 Gratuita nostri iustificatio, quæ sæpius in Scripturis prædicatur, non excludit, sed potius requirit merita nostra de congruo: quibus videlicet ad iustitiam impetrandam nos ipsi disponamus. c. 21.

9 Etsi veteris Ecclesiæ Doctores sæpe phrasi illam vsurpant, hominem sola fide coram Deo iustificari: tamen nunc vsurpanda non est, sed hæretica potius

potiùs censenda, quia videlicet diuerso sensu ab Euangelicis vrgetur. c. 25.

10 *Formalis iustitia nostra, est sanctitas quædam diuina, nobis habitualiter inhærens: seu forma iustificationis nostræ est interior animi nostri renouatio, siue infusio propriæ iustitiæ, per modum habitus, seu qualitatis cuiusdam in nobis residentis.* lib. 2. c. 2. & d.

11 *Iustificatio nostra, quoad causam formalem, non constat sola remissione peccatorum: neque iustitia Christi, h. e. per Christum nobis partæ, imputatione: adeoque imputata iustitia merum commentum, siue inanis quædam opinio est.* Ibidem capite 6. 7.

12 *Iustificatio nostra, in S literis non significat iudicialem nostri absolutionem à peccatis, aut gratuitam reconciliationem cum Deo: sed partim ipsam totalem peccati in nobis habitantis extinctionem tanquam priuationem; partim charitatis & iustitiæ inhærentis infusionem, tanquam habitum.* c. 9 & d.

13 *Nemo in hac vita de propria iustitia seu remissione peccatorum suorum, certus esse potest, nempe certitudine fidei: sed moralem tantùm, seu coniecturalem de ea persuasione fideles habere possunt, quæ perpetuam dubitationem minimè tollit.* lib. 3. c. 2. & d.

14 *Huius autem rei causa est, quòd nemo certus esse potest de vera sua fide ac pœnitentia &c. an scilicet verè in Christum credat, vereque ad Deum conuersus sit; an denique conditiones omnes in iustificatis seu filijs Dei omninò requisitas reipsa ha-*

habent, &c. Ibid. c 8. & d.

15 *Testimonium Spiritus sancti & bonæ nostræ ergà Deum conscientiæ, non nisi infirmam & coniecturalem: adeòque fallacem, iustitiæ præsentis certitudinem in cordibus nostris gignere potest.* c. 9. & deinceps.

16 *Non vera in Deum fiducia, sed superba præsumptio est, non modò de præsente gratia sed etiam de prædestinatione siue electione, deque perseuerantia finali sua certum esse velle.* c. 12. & d.

17 *Vera fides & iustitia, non modò non est electorum propria; sed etiam semel verè habita, prorsus & finaliter amitti & solet & potest.* c. 14. & d.

18 *Non sunt omnes iusti inter se pares respectu formalis iustitiæ, seu gratuitæ iustificationis coram Deo, etiam maximè generatim acceptæ: sed alij magis, alij minus hoc etiam respectu iusti sunt.* c. 16.

19 *Euangelici reuera negant, bona opera ad salutem esse necessaria, saltem necessitate efficientiæ: quatenus non modò perfectionem & meritum illorum malè negant; sed & differentiam V. & N. Testamenti libertatem Christianam perperàm & prorsus hæreticè explicant,* & c. lib. 4. c. 1. & d.

20 *Opera iustificatorũ non modò vere & propriè iusta, Deoq; grata sunt; sed etiam adeò perfecta, nullisq; peccatis inquinata, vt ipsi iusti legem Dei perfectè per hæc implere, seu iudicio Dei exactè respondere, censendi sint* c. 10 & d.

21 *Eadem opera vim habent nos coram Deo iustificandi; non quidem prima, sed secunda iustificatione: hoc est augmentum gratiæ & iustitiæ inhæ-*

inherentis apud Deum promerendi.c.18 19.

22 *Bona opera iustorum non modò augmentum diuinæ gratiæ, sed etiam salutem seu vitam æternam apud Deum promerentur: idque propriè loquendo, iuxta rationem veræ æqualitatis, & tenorem commutationis seu commutatiuæ iustitiæ diuinæ.lib.5.c.1.& d.*

23 *Et licitum & vtile nobis est, non modò bona opera facere intuitu mercedis æternæ (videlicet tanquam per illa promerendæ) sed & fiducia salutis aliquatenus, h.e. minus principaliter in meritis operum nostrorum collocare.c.7.& d.*

24 *Opera iustorum ex condigna meritoria sunt vitæ æternæ, non tantum ratione pacti seu promissionis diuinæ, sed etiam respectu suæ ipsorum internæ dignitatis, seu propriæ virtutis: quippe quæ per se digna sint tanto præmio, & exactam cum eo proportionem habeant.c.16.& d.*

25 *Iustificatio prima, item reparatio post nouum lapsum & denique finalis perseuerantia, non quidem sub meritum condigni, sed tamen sub meritum congrui cadunt. hoc est possunt & solent hæc Dei dona, non quidem ex rigore commutatiuæ iustitiæ, & propriæ nostrorum operum dignitate acquiri & comparari (vt iustificatio secunda, & salus æterna) sed tamen vera quadam vi seu pretio & valore nostrorum operum ac dispositionum à Deo impetrari c.21.22.*

ANTIDOTVM.

Contra hos sanè noxios errores vide Harmon-

con-

confess. sect 5. & 7. & 9. Confess. Zuichij cap. 17 & 19. & 20. & 21. Item lib. 2. & 3. Miscel. passim. Vide etiam Chemnit. part. 1. exam. Caluin. lib. 2. Iust. c. 10 & 11. & lib. 3. c. 2. lit. c. 11. & deinceps ad 20. Item in Antidoto Concil. Trident. & contra Interim, & contra Pighium, &c. Bullingerum in decad. Melanch. Martyrem, Musculum, Aretium, &c. in locis communibus tit. de fide, bonis operibus, iustificatione, libertate Christiana, & differentia V. & N. T. &c. Item vide Lutherum in comment. epist. ad Galatas: & in disputationibus contra Antinomos. & de libertate Christiana, tom. 1. Buc. in colloquio Ratisbonensi, & in disput. contra Iungum &c. Item Bezam in Confess. c. 3. & 7. & in Apologia pro gratuita iustificatione. Sadeelem contra Burdegalen. & in meditation. super Psal. 32. Borrhium in commentar. ad cap. 15. Genes. Sohnium tom. 2. ad tit. de iustificatione. Vrsinum in explicat. catechet. Oleuian. de fœdere Dei. Piscatorem in disput. de iustificatione, & passim alios: denique interpretes in Epistolas Apostolicas, præsertim ad Romanos & Galatas.

V. PARS.

De bonis operibus in specie: quæ V. huius Tomi Controuersia generalis, siue tertia principalis, 3. libris comprehensa.

EXtra controuersiam est apud nostros, precationem ex vera fide profectam, esse opus

Deo

Deo perquam gratum, & habere vim multa & magna DEI beneficia, tum nobis, tum alijs impetrandi; eoque summopere nobis commendatam esse oportere. Item, orationem Dominicam pro absoluto omnium precum compendio & exemplari habendam esse. Præterea, ad tarditatem nostram excitandam vtile esse, certas precandi horas vnumquemque sibi constitutas habere. Denique in cantu Ecclesiastico & alijs eiusmodi rebus, multa esse per se adiaphora, & Ecclesiarū libertati permittenda, &c. Similiter in confesso est, ieiunia non modò priuatim, sed & publicè nonnunquam celebranda esse, quoties videlicet aliqua necessitas, aut iusta ratio persuaserit: & horum, si legitimè seruentur, vsum esse multiplicem, tum ad carnem subigendum, tum ad vigorem spiritus in precibus, & sanctis meditationibus excitandum, &c. Postremò & eleemosynas, si de rebus nostris legitimè partis, ad Dei gloriam, & proximorum solatium, ex vera fide eas largiamur, opera veræ charitatis esse; & suam apud Deum mercedem seu præmium (vti & alia Christianæ pietatis opera) in cœlo repositum habere, eoque vnicè commendatas nobis esse oportere agnoscimus. Et communionem bonorum, qualem fanatici quidam vrgere solent, ipsi quoque improbamus, &c. Interea tamen non pauci, nec leues Pontificiorum de his operibus errores, à nostris hominibus merito semper reprehensi fuerunt, quos Bellarminus his libris passim inculcat; nempe qui hîc ex ordine sequuntur.

Errores de Oratione.

1 *Inter alios fructus siue effectus precationis, sunt etiam vera coram Deo satisfactio, & meritum: quum illa non tantum valeat ad condigne impetrandum omnis generis beneficia, quæ à Deo petimus, &c. sed etiam ad satisfaciendum, tum pro nostris, tum pro aliorum delictis: itemque ad promerendum nobis spiritualem Dei gratiam, & salutem æternam.* lib. 1. ca. 3.

2 *Non modò certum, verum etiam omnino credendum est, in oratione Dominica esse non sex sed septem verè distinctas petitiones: item clausulam illam,* Quia tuum est regnum, &c. *esse irrepetitiam, nec ad textum Euangelicum pertinere.* lib. c. 5. & 6.

3 *In quinta petitione,* Remitte nobis debita nostra, &c. *nec ipsi nobis petimus, nec alys promittimus omnimodam peccatorum remissionem, sed eam tantum, sine qua peccator aut debitor in summum exitium necessariò incideret.* Ibid. cap. 6.

4 *Ad impetrandum ea quæ petimus, non semper opus est charitate viæ (vt loquuntur) quæ videlicet ad merendum requiritur: immò nec charitate absolutè accepta: quum & beati in cœlo degentes, sine illa semper; & iniusti seu peccatores, sine ista quandoque petitiones suas à Deo impetrent.* cap. 9.

5 *Horæ Canonicæ (quarum maiores partes sunt*

unt hymni nocturni, laudes matutinæ, prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, & completorium) utiliter & sapienter ab Ecclesiæ præsulibus, & quidem exemplo Sanctorum V. & N.T. institutæ sunt. c. 10 & d.

6 *Eædem horæ canonicæ, licèt ad publicum Domini cultum institutæ sint, tamen rectè lingua peregrina, à solis clericis & monachis recitantur: quibus etiam propterea rectè meritum quoddam speciale tribuitur, &c.* c. 12. & d.

7 *Tituli illi, quò virgini Mariæ tribuuntur in Antiphona,* Salue Regina, &c. *omnes veri, sancti & legitimi sunt: vbi videlicet vocatur* Regina cœli, mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, &c. ca. 15.

8 *Cantus Ecclesiasticus (vt nunc in Ecclesia Romana vsitatus est) videlicet Latinus ille Gregorianus, ac præsertim variè figuratus &c. vnà cum organis, tubis, & aliis instrumentis musicis, rectè & vtiliter in Ecclesia Christi exercetur, nec vllo modo mutari debet.* c. 16. 17.

Errores de Ieiunio.

1 *Ad verum Ecclesiasticum ieiunium (quod videlicet spirituali, morali, & naturali ieiunio opponitur) abundè sufficit, si à prandio tantum abstineatur, & cœna circa meridiem sumatur, addita etiam quadam cœnula, seu collatione sub ipsam noctem.* lib. 2. c. 2.

2 *Delectus ciborum ad prædictum ieiunium*

ritè seruandum omninò necessarius est, & nominatim abstinentia à carnibus, ouis, & lacticinijs: non quòd illi cibi per se immundi sint, sed quòd magis quàm alij corpus nutriant, seu carnem saginent, & spiritui rebellem efficiant, &c. cap. 4. & 5.

3 Ieiunia in N. etiam T. non modò diuinitus, in genere saltem, præcepta sunt, sed etiam ad certos dies, & certos ieiunandi modos per Ecclesiam rectè alligantur: quæ lex Ecclesiæ generatim omnes fideles in conscientia obligat. c. 6. & d.

4 Ecclesia Romana, in obseruando ciborum delectu, nihil commune habet cum Tatianis, Montanistis, Encratitis & alijs veteribus hæreticis: licet id Tertullianus, Epiphanius, & alij Patres non obscurè docere videantur. c. 9.

5 Fructus siue effectus immediatus Ecclesiastici ieiunij est, non modò carnem subigere seu mortificare, & vim spiritus ad precandum, & cœlestia meditandum excitare, &c. sed & pro peccatis, tum nostris, tum alienis satisfacere, Deum placare, & præmium cœleste promereri, idque ex opere non operato, sed operantis. c. 11. & d.

6 Ieiunium quadragesimæ ab ipsis Apostolis institutum, & vniuersæ Ecclesiæ perpetuo obseruandum ab ijsdem traditum est: non obstante maxima eius varietate, quæ apud veteres fuit, & contrario quorundam veterum Patrum & Historicorum testimonio. c. 14. 15.

7 Ratio huius ieiunij inter alias est, tum vt miraculosum illud ieiunium Christi imitemur, nosque ad meditandum eius mortem & resurrectionem

nem præparemus : tum vt decimas totius anni, adeoq; totius vitæ noſtræ per hanc abſtinentiam Deo conſecremus.c.16.

8 *Eadem lege Apoſtolica, & ſimili etiam de cauſa, ſancitum eſt ieiunium feriæ quartæ, & ſextæ : licet prius illud iam ſeruetur feria ſeptima, qua olim Chriſtianis ieiunare non licebat.* cap.17,18.

9 *Sic triduanum ieiunium quatuor temporum, quibus olim ſolennes miniſtrorum ordinationes fiebant, ab Apoſtolis haud dubiè, & quidem exemplo Eccleſiæ V.T. inſtitutum eſt: coq; ſimiliter, vt alia illa, præcise à nobis eſt obſeruandum.c.19.*

10 *Denique ieiunia Aduentus*, Rogationum, Vigiliarum & Stationum, *licet ab Apoſtolis inſtituta non ſint : tamen quia & ipſa ſingulare myſterium ſuum habent, recte ab Eccleſia, & quidem cum opinione cultus, & meriti, obſeruantur.* cap.20 & d.

Errores de Eleemoſyna.

1 *Elecmoſynæ etiam ſine charitate factæ, tamen veræ miſericordiæ opera ſunt, & vim habent diſponendi nos ad iuſtificationem, adeoque peccatum, etiam quod ad culpam attinet, ſuo modo delendi.lib.3.c.1.& 3.*

2 *Eleemoſynæ propriè dictæ legitime diſtribuuntur in 7. corporales & totidem ſpirituales : ita vt etiam conſolatio, doctrina, conſilium, patientia, & id genus opera interna & ſpiritualia, veræ elee-*

mosynæ rectè dicantur c.2.

3 *Eleemosynæ, quæ fiunt ex fide & charitate, sunt opera iustitiæ & salutis æternæ meritoria, & verè satisfactoria coram Deo: & præterea alios similes effectus complures habent c.4.*

4 *Præceptum de dandis eleemosynis, etsi ad decalogum proprie non pertinet (quippe in quo opera iustitiæ, tantum, non etiam charitatis, præscribuntur) tamen ad quartum (aliàs quintum) decalogi præceptum optimè referri potest, in quo de parentibus honorandis agitur c.6.*

5 *Diuites præcise diuina lege obligantur, ad superfluas opes suas pauperibus erogandum, quæ videlicet tam naturæ, quàm personæ, seu statui & conditioni illorum superfluæ sunt: necessarias verò erogare nec tenentur, nec sine vitio possunt, nisi statum mutare velint. c.7.8.*

6 *Eleemosynæ etiam ex rebus male partis legitimè fieri possunt: cùm videlicet aut lucrum turpe est (quale est lenonum, meretricum, &c.) aut possessio respectu vtriusque partis iniusta, dantis videlicet simul & accipientis: non autem si iniustitia sit partis alterius tantum, puta acquirentis, &c. capite 9.*

ANTIDOTVM.

De his erroribus (præsertim circa statas Ecclesiastic. preces, siue horas canonicas, & Ecclesiasticum ieiunium, siue delectum ciborum) vide Harm. conf. sect. 15. & 16. Conf. Zanchii cap. 25. Chemnit. part. 4 exam. Caluin. lib. 3. Inst. c. 20. Item lib. 4. cap. 12.

Eccam

Bezam in Conf. cap. 5. & 7. Melanchthonem, Martyrem, Musculum, Aretium &c. in locis communibus tit. de precatione, cantu, ieiunio, eleemosyna, &c. Balling. in decad. part. 3. denique Lutherum, Calvinum, Bucerum & alios interpretes in c. 6. & 15. Matth. &c. Nam contra doctrinam de meritis & satisfactionibus nostrum iam supra tomo 3. ad controuers. de pœnitent. item hoc tomo ad proxime præcedentem controuers. de iustificat. & bonis operibus &c. non pauca loca apud Euangelicos commonstrauimus.

EPILOGVS.

HActenus igitur Bellarmini vestigia secuti Indicem errorum Ecclesiæ Romanæ confecimus, & simul antidotum apud nostros homines ostendimus Collationem quisquis prudenter instituet, facile deprehender, nihil dictum esse à Bellarmino, quod non ab alijs eiusdem Ecclesiæ patronis dictum sit prius, & satis etiam à nostris refutatum. Res enim eadem est, sed nouus accessit ab illo apparatus. Attamen hic ipse nouus apparatus, hoc est, stylus orationis, & forma totius operis, item Auctoris (præsertim iam Cardinalis facti) apud suos celebritas, opus ipsum nobis diligenter cognoscendum esse suadent: quippe in quo *medullam Papismi*, h.e. omnia Romanæ Ecclesiæ dogmata, & quasi κυρίας δόξας, ad vnam omnes satis doctè simul & perspicuè explicatas

plicatas habemus.

Cæterum ne quis miretur, quasdam *appendices* à Bellarmino in postrema editione adiectas, nusquam hîc à nobis attactas esse, sciendum est nihil reuera in ijs contineri, quod non in alijs eiusdem argumenti libris, quantum quidem ad ipsa dogmata attinet, satis superq; explicatum sit: ideoque illas studio breuitatis iure à nobis præteritas fuisse. Etenim in refutatione libri anonymi Italicè conscripti (cuius titulus erat, *Auliso piacevole alla bella Italia, &c.*) quæ ad calcem primi tomi adiicitur, nihil sanè occurrit, quod non multò plenius & vberius in libris De Pontif. Romano & Antichristo tractetur: nisi quòd testimonia quædam *Petrarchæ, Bocacij, Dantis Aligerii, Mantuani, Bernhardi*, & aliorum de hoc argumento excutiuntur. Similiter in refutatione Synodi Parisiensis, habitæ contra Synodum Nicenam secundam de cultu imaginum, quæ tomo secundo ad libros de Ecclesia triumphante adiecta est, nihil ferè dogmaticum, aut quod alicuius momenti sit, traditur, præterquam quod historia rei gestæ breuiter examinatur. Sic denique in iudicio siue censura de libro *Concordiæ* (quæ vltima est appendix in fine quarti tomi) si quæ sunt doctrinalia (vt certè quædam sunt minimè contemnenda) ea iam antè tomo 1. in libris de persona & officio Christi, & passim alibi, suis quæque locis, abunde tractata repetiuntur. Vt nihil opus fuerit, in hoc tam exiguo Indice eadem subinde inculcare.

Quinimò

Quinimò prædictum breuitatis ſtudium effecit, vt non modò præfationes Bellarmini intactas reliquerimus, ob cauſam modò dictã; ſed etiam in hiſtoricis argumentis, vbi de rebus geſtis, aut de Patrum in hac vel illa materia ſententijs agitur, item in exceptionibus ſeu reſponſionibus Bellarm. ad argumenta noſtrorum indicandis, ſæpe integrum aliquem illius librum, aut plures etiam libros in vnam theſin contraxerimus: ſicut in controuerſia de Rom. Pontifice theſi vltima, & de Indulg. theſi vltima, & de Euchariſt. theſi V. & alibi paſſim videre eſt. Similiter in alijs theſib. quæ proprié didaſcalicæ vel elenchticę ſunt, multa Pontificiorum dogmata, eodem tamen ſpectantia, ſæpe velut inuoluta latent. v. gr. theſi VII. De Romano Pontif. quæ deſcriptionem magni Antichriſti complectitur, totidem latent aduerſæ partis aſſertiones quot partibus illa deſcriptio cõſtare deprehenditur. Sic in theſibus de natura & notis Eccleſiæ, & paſſim alibi complura ſæpe Bellarmini capita velut in anguſtum locum contruſimus, vt multa paucis complecti poſſemus. Hæc igitur à prudente Lectore ſuis quæque locis velut euoluenda, & ſingula ſeorſim conſideranda ſunt: vt tanto maior vtilitas ex huius Enchiridij lectione percipi poſſit. Vale LECTOR, & Deum pro nobis ora.

Finis Enchiridij.

STC
24263.2